
ACADEMIA HARVARDIANA IN NOV·ANG
ET
VE
RI
TAS
CHRISTO
ECCLESIAE





Eichstaedtio V. J.

Auct.

Observationes

in

Sophoclis Philocteten

scripsit

Augustus Gotthilf Gernhard

AA. LL. M. Schol. Cathedr. Numburg. Subconrector.

Lipsiae

sumtibus Salomonis Linkii

MDCCCII.

I. G. Braeunigero

Schol. Plav. Varisc. Conrect.

Et

C. G. A. Erfurdto

Schol. Merseburg. Colleg. Tert.

S. P. D.

Suo Et Amicorum Nomine

A. G. Gernhard.

Posteaquam renuntiatum nobis erat, Te, carissime BRAEUNIGER, paucis diebus Lipsiam esse relicturum, amici, ut erant dolore simul et gaudio affecti, voluerunt, ut ego quidem Tibi scholasticum munus feliciter susceptum gratularer. Et quum paullo post Tu quoque, amicissime ERFURDT, Merseburgum arcessereris, ambobus Vobis,

qui virtutum Vestrarum praemia nacti essetis, in summo Vestrum desiderio animorum sensa ut explicarem me rogarunt. Atque hanc non minus honorificam quam gratam provinciam ut in me suscipere non dubitarem, quid magis me moverit, Societatis auctoritas sanctitasque instituti, an Vestrae amicitiae officia, nescio. Certe tanta utriusque rei fuit vis, ut prope omnis metus evanesceret, ne non hic qualiscunque libellus dignus esset Societate Statoris sui Beckeri nomine celeberrimo satis commendata atque ab hujus disciplinae laude nimis recederet. Imprimi igitur hanc scriptionem curavi non tam ut observationes meas publicas facerem, quam ut plurimis significarem Vos nobis esse carissimos. Quod quidem feci non sine quadam animi commotione, qualis esse solet amicis, qui in

animorum non vulgari consensu fortunae magnam sentiunt similitudinem. Etenim, dum haec scribebam, in patriam urbem eram rediturus, vocatus quippe a Canonicorum Summe Reverendo Numburgensi Collegio, ut scholastico munere ibi ornarer. In reliquis sic habetote, nobis, qui diutius Vobiscum vivere volueramus, id relictum esse solatii, non nisi locorum intervallis a nobis Vos esse sejunctos et, quamquam consuetudinis Vestrae suavissimae fructu careamus, mutuae tamen voluntatis studium litterarumque amorem qui primus nos conjunxit, non posse unquam imminui. Ita valete Vestrorumque laborum fructus capite largissimos.

Lipsiae Idib. Octobr. MDCCCI.

Nomina Amicorum

qui

Duce

Chr. Dan. Beckio

in scriptorum veterum interpretatione exercentur.

M. Theoph. Kiessling, Reichenavia-Lusatus.
M. Ad. Gottl. Lange, Weissensee-Thuring.
Carol. Chr. Jahn, Oelsnitzio-Variscus.
M. Henr. Aug. Schott, Lips.
Veit Gottlieb Schey, Rothenburgo-Francus.
Conr. Benjam. Meissner, Döhlena-Variscus.
Car. Frider. Christi. Wenck, Lips.
Ioh. Christ. Dähne, Cizensis.
C. A. Ferd. Nietzsch, Bibra-Thuringus,
R. M. C.

Index capitum, locorumque tractatorum.

Cap. I.

De tragoediae natura et legibus. Pag. 5

Cap. II.

Philoctetae partes suo ordine enarrantur. 23

Cap. III.

Philoctetae conformatio. 27

Cap. IV.

Actus primus Philoctetae tentatur. 40

Cap. V.

Sophoclis Philoctetes cum eiusdem nominis fabulis Aeschyli et Euripidis comparatur. 47

Cap. VI.

De Philoctetae actu tertio. 58

Philoct. v. 54. sqq. Pag. 87
— v. 79. sqq. 92
— v. 150. sqq. 93
— v. 157. sqq. 96
— v. 187. sqq. 98
— v. 212. sqq. 101

Philoct. v. 225. ſqq. Pag. 103
— v. 295. ſqq. 107
— v. 319. ſqq. 109
— v. 324. 113
— v. 442. ſqq. 115
— v. 490. ſqq. 116
— v. 528. ſqq. 124
— v. 579. ſqq. 124
— v. 676. ſqq. 126
— v. 730. 133
— v. 971. ſqq. 134
— v. 974. 135
— v. 994. ſqq. 137
— v. 1026. ſqq. 138
— v. 1094. 142
— v. 1100. 143
— v. 1134. ſqq. 145
— v. 1140. ſqq. 149
— v. 1189. ſqq. 152
— v. 1213. ſqq. 153
— v. 1287. 154
— v. 1305. ſqq. 155
— v. 1385. 156

Duplex est harum in Sophoclis Philoctetem observationum genus: alterum, quod ad ipsius fabulae conformationem pertinet, alterum, quod spectat singulos quosdam locos emendandos. De posteriore genere infra dicetur; nunc paucis exponendum est de eo, quod continetur priore hujus scriptionis parte. In qua difficilem me suscepisse rem, quaeque vix possit effugere invidiam, neque deerunt, qui existiment, neque

ipſe negaverim. Nondum enim cum omnium omnino pulcrarum artium leges, etſi multa egregie in hoc genere dicta ſunt a plurimis, certo ac perſpicue ſunt conſtitutae, tum dramaticae poeſeos neque natura omnis eſt a quoquam deſcripta et vis atque indoles expoſitione velut exhauſta, neque praecepta, ad quae fabula ſcribi debeat et judicari, ſufficiunt. Nam qui nuper de hac re ſcripſerunt V.V. Cell. *Hermannus* et *Suvernus*, eorum alter quae in *Praefatione ad Ariſtophanis Nubes* dixit de dramaticae praeſertim comicae poeſeos legibus, ea uberius et diductius perſecuturum ſe eſſe ſpem fecit gratiſſimam. Suvernus autem in libro vernacule ſcripto: Ueber Schillers Wallenſtein in Hinſicht auf griechiſche Tragoedie, non tam omnem tragoediae expoſuit naturam, quam ad inveſtigandam ejus rationem et indolem multa paſſim ſubtiliter contulit eo, ut doceret, qualis eſſet Graecorum tragoedia. Non potuit autem non deſiderari, immo flagitari

et posci firmum fundamentum, quo niteretur disputatio, quae non tam laudaret ea, quae in Philoctete bene sunt adhibita, quam vitia alia hujus fabulae demonstraret liberaretque eam ab aliis insimulatu facillimis. Quapropter, ne sensus forsitan nondum satis exercitati fallacia videretur haec de celeberrimi et praestantissimi tragicorum poetarum fabula instituta esse disputatio, consultius putavi primum omnium exponere, quas judicium sequeretur, leges tragoediae. Ad quas docte constituendas etsi, quae Aristoteles multa idonea tradidit, ea videbantur debere imprimis adhiberi; tamen, quum pro hujus scriptionis limitibus uberiorem existimarem esse ejusmodi disputationem, acquiescendum nunc certe esse putavi in praeceptis iis, quae, nulla exemplorum habita ratione, solum ex ipsius tragoediae notione eruerentur. Quae res juvabatur maxime iis, quae partim in *Dissertatione de poeseos generibus*, partim in *Praefatione ad Aristoph. Nubes* pag. XXXIV. seqq.

disputaverat *Hermannus* et a *Suverno* l. l. erant dicta et a *Schillero* in Commentationibus: über das Erhabene und das Pathetische, in den kleinern prosaischen Schriften, Parte III. repetitis: quos V. V. D. D. semel in hac re laudasse sufficiat.

Cap. I.

De tragoediae natura et legibus.

Notio tragoediae conſtituitur e diviſione poeſeos ea, quam gignunt partes pulcritudinis formoſitas et ſublimitas, ita ut *dramatica arte propoſita humana actio, quae ſublimitatis ſenſum excitet, tragoediae* nomen habeat.

Naturam autem tragoediae et leges ex ipſa ejus notione intelligimus.

Et omnium quidem actionum hoc eſt commune, vt aliquam denotent virium contentionem (Wechſelwirkung der Kräfte) ita, ut, ubi deſunt vires, non deprehendatur actio. Eſt vero naturae ea ratio, ut, quae vires inſunt corporibus, (ſunt autem in omnibus), eae ſecundum certas quasdam leges invicem ſe impugnent ſibique reſiſtant. Solus homo hoc

ſuperat ceteras res, quod liberae voluntatis habet uſum. Belua enim tantum, quantum ſenſu movetur, ad res ſe adcommodat: homo autem, quod rationis eſt particeps, ſenſu non modo non cogitur, ſed etiam ejus vim moderari poteſt voluntate. Virium igitur humanarum, quoniam non certis quibusdam naturae legibus dimicant, ſed libertate reguntur, libera eſt contentio, quae κατ' ἐξοχὴν *actio* appellatur. Actio ad ſimilitudinem verae actionis ficta, ſeu arte facta, dicitur *fabula*. Cujus quidem hae ſunt partes: initium et continuatio contentionis, *nodus*, eventus contentionis, actionis finis, *nodi ſolutio*. Ad quas fabulae partes conſtituendas ut non licet omittere eorum quidquam, ſine quo nullus foret nodus, nodique ſolutio nulla, ideoque non *integra* *) ipſa fabula; ita, ut *una* ſit contentio,

*) Fabula igitur quum omnia contineat neceſſe ſit, quibus ſic ſe ipſa quaſi explicet, ut nulla re extra ipſam poſita ad perſpicuitatem indigeat; cavendum maxime eſt, ne ſpectatori aliqua oriatur dubitatio vel de loco, ubi omnia fiunt, et tempore, unde repetitum eſt fabulae argumentum, vel de ratione perſonarum, rebusque ejusmodi

neque admifceri debent fortuita, neque foluto nodo aliquid addi, fed, quaecunque fiant, ab ejus fine pendere. Quicquid enim in fabula, poftquam femel indicata funt ea, quibus continetur contentio, fit, neque ex ipfa actione nafcitur, id omnino cauffa eft deftitutum et vere fortuitum, fiquidem non ad verarum rerum originem poteft referri, de qua nequit cogitari, ubi omnia ficta funt. Nodo autem actionis foluto, quum actio ipfa finita fit, non modo nihil

aliis. Quarum rerum quae certam praebeant notitiam, curandum eft, ut ad ipfam pertineant contentionem, neque praemiffa videantur cauffa fpectatorum. Ex quo intelligitur, quid judicandum fit de more eorum poetarum, qui prodire ante ipfius actionis initium jubent perfonam, (prologum) five ex actorum numero fumtam, five aliam, quae fpectatores de iftis rebus praemoneat. Etenim fi ad actores pertinet, extra contentionem tamen eft, ideoque duas habet partes, id quod magnae eft offenfioni: quodfi alius quis prologi vices fuftinet, quoniam non ad contentionem pertinet, commovere nullo pacto poteft fpectatores; vtervis eft interpres, quem artis opus perfectum refpuit.

amplius exfpectatur, fed etiam, quicquid fequitur, id non poteft non commotionem animi excitatam minuere. Deinde, quae in vita hominum communi nonnunquam intermitti dicitur actio, non vere rumpitur, fed, quia occulte fit, vel ob alias cauffas non nifi e confpectu removetur. Quamobrem, quum actionis partes cauffarum et effectuum arctiffimo nexu cohaereant, et contentio, quamquam quiefcere interdum videatur, tempore tamen continuetur; in fabula quoque res agenda eft, ut tempore non interrumpatur, atque hoc modo fervanda *temporis unitas*.

De *loco* autem, quo fabula agatur, ex eo, quod *fpectanda* proponitur, recte praecipi in promtu eft. Nempe in vita communi homines, dum agunt, faepe videmus mutare locum. Qua loci mutatione ne utiquam interrumpitur actio. Atqui fi in fabula locus mutaretur, hominesque contendentes nunc hoc, nunc illo loco confpicerentur, videndum foret, ne hac ratione rumperetur actio, nifi fimul facerent fpectatores iter, quod, dum fieret, in fcena oporteret

conſpici. Quod quum fieri non facile poſſit, omnis actionis locus, in quo ſemel conſtitutus eſt ſpectatoris animus, idem maneat neceſſe eſt.

Fabula ut pulcrae artis fiat opus, ita eſt inſtituenda, *pulcre ut commoveat* ſpectatorem. Qua in re verſatur *tractatio poetica.* Ac primum quidem, quod in actione habet pulcritudinem, atque in ipſa rerum, quae in fabula geruntur, apto quodam luſu mentem contemplantem exercet, non tam eſt id, quod quis conſequi ſtudet, quam liberae voluntatis vis, quae vires hominis intendit, ejusque actiones moderatur. Spectatur autem libertas maxime in coercendis vincendisque cupiditatibus, quibus alius alio magis ducitur, animique motibus reprimendis ac ſenſuum ſtudiis ad rationis legem regendis: in quo diſſidio actio poſita eſt. Rationem, quae inter ſtudia et cupiditates cujusque hominis et voluntatis libertatem intercedit, *mores* appellamus. Singularum igitur in fabula perſonarum debent eſſe mores et maxime tales, in quibus inſignis in agendo vis conſpicitur. Plures autem perſonas in fabula eſſe adhibendas in promtu eſt,

Etenim, quamquam etiam in uno homine ab aliis segregato virium esse potest magna contentio et voluntatis cum sensibus acris dimicatio; haec tamen quum tanto aptior sit menti, quanto est acrior et latius patet, non una inducenda est persona, sed plures sunt in proelium committendi. In quorum concursu, ubi alter alterum sollicitat et lacessit, ac cujusque animus plures et graviores affectiones patitur, voluntatis imperium quantum sit, quantaque quisque valeat libertatis vi, certius cognoscitur. In moribus autem quum expromatur pulcritudo, quaeritur, quomodo in ingeniorum diversitate singularum personarum studia et cupiditates ita conjungantur ac conformentur, ut et actionis cognitio juvetur et pulcritudinis contemplatio. Nam in quacunque fabula, ut in quovis artis opere, ubi cogitationes variae expressae sunt, mens quaerit aliquid, quo singulae res convertantur, quasi consentiente omnium rerum ad fabulam pertinentium facta coagmentatione, et quaecunque agantur, eorum poscit commune aliquod vinculum, quod si non deprehenderit, quid totum sit, non potest cognoscere. Esse igitur oportet in fabula

alicujus personae ingenium, quod cetera quasi cognatione contineat, et in quo uno personarum sit conspiratio. Pulcritudinis autem natura quoniam flagitat, ut res, quae pulcre commoveant animum, etsi variae sunt, ad unum quiddam tamen et totum apte conspirent; ita instituenda est fabula, ut, quae persona eminet, ut argumenti cognitio sit facilis, ex eadem pulcritudinis sensum spectatoris animus percipiat. Quae *persona prima* dicitur, quod summa in ea est contentio.

Sed alius praeterea est, isque in *sublimitate* fons, e quo praecepta quaedam nascantur. Qui sublimitatis sensus cum sit ea rationis voluptas, quae capitur e contemplatione rerum, quarum magnitudo sensu unice aestimanda, quoniam tota comprehendi nequit, ad rationis ideas infinitorum supremam conditionem requirentis excitandas idonea est; quaeritur, in homine quid sit vere infinitum, cujus contemplatione sublimitatis sensus excitetur. Est autem una voluntatis libertas, quae hominem supra ceteras res solum evehit. Quae constans per se et infinita

vis non nisi agendo exprimitur ita, ut neque ab ulla re velit pendere, sed suam rationem secuta suorum consiliorum irritamenta omnia superet, neque pendeat a quaquam re, immo, quo majora impedimenta ipsi occurrant, eo excellentior evadat et sublimior. Quare in fabula, quae sublimitatem excitet, haec excellens hominis vis imprimis in contentionem veniat. In qua ut quam maxime exerceatur, quoniam in certando cernitur, curandum est, ne quid in proelium cum libertate committatur, nisi quod ei par sit adeoque magnum, ut impugnare vehementer fortiterque possit resistere. Quaecunque praeter libertatem sunt et fiunt, necessitatis nomine complectimur. Cum *Necessitate* igitur vel *Fato*, cui omnium rerum, quae occultis et ignotis regantur legibus, ordo et ratio gubernanda et continenda tribuitur, *Libertas* est comparanda. Libertas autem in fabula in prima persona cernitur. Cujus consilia simulac limites Fati aeterna voluntate scriptos eosque saepe hominibus ignotos sunt transgressa, id habent sibi adversans. Et saepe quidem concurritur et fit contentio, quae quum per se est sublimis,

quia utraque pars eſt virium infinita magnitudine, tum eo ſit ſublimior, quo eſt acrior. Quare, ut Neceſſitatis cum Libertate exiſtat contentio, ponatur neceſſe eſt aliquod conſilium, ad quod conſequendum omnes animi vires prima perſona habeat intentas, quodque tam conſtanter et fortiter ſectetur, ut peſſima quaevis pati malit, quam eo deſiſtere. Cui primae perſonae conſilio adverſa fingi debet voluntas Fati ita, ut aut vetare ſignificetur *) id, quod prima perſona conatur, aut fieri jubere, quod illa maxime fugit.

*) Innoteſcit antiquiſſimis hominibus haec Fati voluntas per oracula, vates, ſomnia, portenta, aliasque ejusmodi res. Quibus divinae voluntatis indicibus quum nos nullam habeamus fidem, quaeritur, quid primae perſonae Libertati opponere oporteat in fabula. Quicquid Fati vices ſuſtineat, verendum eſt, ne non tantam ſublimitatem excitet, ubi in proelium cum Libertate committitur. Nam etiamſi regum potentiſſimorum leges et edicta, quorum permagna a noſtris creditur eſſe vis, conſilio primae perſonae adverſari fingantur; ejusmodi tamen contentio ſublimitatis ſenſu ſpectatorem vix tantopere commovebit, propterea, quod fieri poteſt, ut

Fatum autem quum, quicunque ipsi resistat, malis frangere studeat ejus superbiam et ei, qui leges divinitus sibi scriptas violaverit, poenas infligat certissimas; et in media contentione et in actionis fine intelligitur aut diu proposita aut improvisa primae personae ob contumaciam immitti debere mala *). Quibus quum videmus

regis vel crudelissimi animus aliqua ratione flectatur. Quamobrem consultius esse duxerim in tragicis fabulis ostendere homines, quibus persuasum est Fatum esse ipsosque impugnare; praesertim antiquos homines, apud quos istam fuisse scimus opinionem. Et habet id quidem etiam ex alia parte, quo commendetur. Tanta enim antiquitatis est apud omnes reverentia, ut, quae a priscis hominibus gesta esse narrantur, quum eximiae quandam fortitudinis et sublimitatis prae se ferant speciem, magnopere nos commoveant: neque facile poeta antiquos homines nimis insignes proposuisse videbitur atque viro forti ex antiquitate repetito incredibile putabitur tribuisse ingenium.

*) Ea mala qui primae personae struant aut infligant, quoniam Fatum ipsum ostendi nequit in fabula, sunt alii homines, Necessitatis ministri.

misere afflictum eum, quem meliore forté dignum censemus et calamitatis non cavendae subitoque accedentis acerbitate cruciari hominem ab omni culpa liberum; ea ipsa innocentiae cum iniqua ejusdem hominis fortuna comparatae cogitatio *miserationis* sensum excitat. Neutiquam tamen haec sola infelicis hominis affectio sublimem sensum in spectatóris animo excitabit, immo talem, qui, quantum emollit et laxat animum, tantum abest a sublimitate. Neque enim hanc unquam senties, ubi in eo, cujus te miseret, frustra quaesiveris facultatem conatumque resistendi, fractamque videris voluntatis libertatem, et rationis vim. Quae sola sublimitatem excitat, solaque digna est, quae artis opere exprimatur, et in qua est malorum primae personae inflictorum et affectionum ejus excusatio. Vix enim conspicua reddi potest divina illa rationis vis, nisi adsit, in quo expromatur.

Ii autem non timendum est, ne non exsequantur, quod divinitus jussi sunt facere, quoniam Fati voluntas non repugnare fingitur, sed convenienss esse ipsorum studiis, itaque, quicquid faciant, id necessario fieri cogitandum est.

Videre autem licet voluntatis libertatem supra naturae leges evectam tum, quum tota hominis natura, quam cum beluis habet communem, male affecta succumbit, praeterque voluntatem nihil est, quod renitatur affectionibus. Quare, quo vehementior est malorum impetus, eo excellentior ideoque sublimior ostendi potest hominis libertas, aut ita, ut infortunia in ejus voluntatem nullam exerceant vim eamque prorsus non assequantur, nec flectere valeant, aut ea ratione, ut mala non fugienda, quae ferre cogit Necessitas, animo ferat constanti, vel etiam sponte subeat, quae effugere potuit, quoniam pessima pati mavult, quam rationis leges violare. Utrumque magnitudinis animi voluntatisque constantiae genus, si in aliquo homine cognoscitur, sensum sublimitatis excitat; ea tamen voluntatis vis, quae in ferenda calamitate ad hominis animum flectendum mutandumque ejus consilium a Fato immissa cernitur, in tragoedia maxime habet locum. In qua si prima persona neque minis neque malis ipsis a consilio, quod fortiter studet exsequi, deterreri se passa acrius resistit, pugnatque vehementius, dum acerbissimam

calamitatem non improvisam excipere mavult, quam flecti animo et cedere, quis non majorum imminentium malorum a Fato ei infligendorum *timorem* sentiat, ubi intellexerit, qui Fati voluntati renitatur, in perniciem eum irruere certissimam? Qui uterque ex acerrima contentione oriundus sensus alternis vicibus quasi fluctuans iterum iterumque commovebit spectatoris animum, usque dum actio finietur nodique aderit solutio. Et solvi quidem nodum oportet non nisi ita, *ut utraque vincat pars.* Libertas enim si non vinceret, non amplius esset Libertas. Necessitatem autem pariter vincere debere intelligitur, propterea, quod, si inferior e certamine discederet, non digna foret Necessitatis nomine, atque sic omnis peritura esset sublimitas. At quomodo tandem utraque vincere potest vis? Libertas sane vicit, quum fecit id, quod voluit. Necessitas autem, ubi, quas minata fuerat, poenas dare jussit eum, qui patravit vel intermisit, quod ipsa patrari intermittive noluerat, vicisse recte dicitur. Finis igitur contentionis in eo semper esse debet, ut *prima persona infelix sit luatque poenam*, servata tamen voluntatis libertate.

Quo facto, finienda statim est fabula propterea, quod sequi haud quidquam potest, quo sublimior sensus excitetur in spectatoris animo: et, si quid accidit semel finita dimicatione, id, ut supra vidimus, alienum est a fabula.

Natura tragoediae descripta, erutisque ex ipsius notione ejus legibus, antequam haec disputatio finiatur, paucis dicendum est de *choro*. Atque is duplici quidem nomine videtur nunc esse spectandus, quatenus et est necessaria pars tragoediae et in ea adhibetur utilissime. Etenim ut fabula cum sublimitatis sensu miserationis et timoris affectiones excitet animumque spectatoris non solum tangat, sed iterum iterumque commoveat, actionis plura esse debent momenta, contentionis iterari impetus pluresque prima persona fortunae experiri vicissitudines. Quarum conversionum contemplatione diutius continuata verendum est, ne, quod post quamvis virium nimiam intentionem fieri solet, delassatus animus et remissus magna parte excitatam amittat commotionem, nisi in ipsa rerum in scena agendarum serie est, ubi paullum

requiescat. Deinde longiore contemplatione facile fit, ut non satis fruamur percepta pulcritudine; magnis rebus propositis dum instare non cessant novae eaeque majores res. Quamobrem ne tamen ex altera parte alia aeque gravis fabulae scribendae violetur lex; inseri aliquid debet, quo intercedente spectatoris animus, retractando ea, quae proposita sunt in fabula, commotione e contemplatione orta vere fruatur, et ubi paullum quiescat ita, ut, refectis deinde viribus ad relictam actionem reducatur. Cui acrioris contentionis remissioni quod inserviat, vix quidquam melius unquam reperietur tragicorum poetarum choro, qui suppeditat ubi et sensa spectatoris nutriantur et animus ex hac contentionis relaxetur vehementia atque ad futuram dimicationem contemplandam paretur. Ita enim scimus ab illis esse institutum *), ut post primam actionis partem prodirent personae, quae

*) De ratione qua quisque tragicorum poetarum chorum adhibet, h. l. dici nequit. Ea, quae hic sunt de chori usu monita, cum generatim valent, tum Sophoclis imprimis habent, quo referantur, tragoedias.

non ad ipsos actores pertinerent, sed contentioni interessent et de iis, quae gererentur, quid sentirent, dicerent. Qui chorus ne fortuito accederet, sed aliqua ejus esset in actione caussa, conjunctionem quandam ei esse finxerunt cum actoribus et societatem, cujus in alia fabula alia est ratio. Ceterum illae chori personae, quum spectatorum vicem sustineant, possunt etiam abesse, neque sunt necessariae. Cum autem familiaritatis sensu ductae accesserunt et, quae sentiant, cum actoribus communicant; ut intermittatur actio in caussa sunt, quoniam, dum canunt, nihil aliud quod alicujus momenti sit, agi potest ab actoribus: neque tamen contentionem rumpere dici possunt propterea, quod actionis *) natura eorum admittit praesentiam et ratio, qua se gerunt, excusatur conjunctionis vinculo et studio, quo actorum commodis subserviunt, simulque cum his laetantur et dolent.

*) Actiones enim a tragicis e regiis familiis repetitae palam fiunt, siquidem apud antiquae aetatis homines, quae ad civitatem pertinent, in loco aguntur publico.

Et quae quidem chorus sentit in contentionis diversitate et fortunae conversionibus, quas prima persona experitur, non eadem semper sunt, sed cum dimicationis ratione mutantur. Et quoniam, qui commoti animi sensa libere exprimit, is solutiore dicendi genere utitur, choro suo lyrica tragici recte tribuerunt carmina. Cujus chorici cantus hanc voluerunt esse vim, ut simul nunc leniorem animi commotionem in spectatoribus excitatam vel sustineat, vel augeat, nunc vehementiorem paullum inhibeat vel moderetur. Et in ea quidem re cernitur illa, quam chori usu dixi comparari fabulis, utilitas. Etenim, ubi chorus, quam ipse sentit, commotionem carmine lyrico exprimit, sensus spectatoribus e malis primae personae inflictis oriundus admodum augetur eo, quod alios homines eorundem infortuniorum contemplatione pariter atque ipsos vel vehementius vident esse commotos. Similiter, cum graviora mala chorus exponit, quae primam personam maneant, contentionisque summam vehementiam augurat; intelligitur, id, quam aptum sit spectatori idem fere sentienti. Hymni autem in laudes Deorum,

quorum insignia facta in fabula memorantur, canendi, vel, quibus heroum, magnorumque virorum et fortium res celebrantur, carmina quam extollunt animum praesertim jam vehementer commotum, quam nutriunt sublimitatis sensum contentione excitatum acerrima! Quum tamen his chori carminibus intercedentibus ipsa intermittatur contentio, hac argumenti cognitionis magis, quam contemplationis remissione admonentur spectatores, qui vera videre arbitrantur, ficta esse omnia. Quod quidem ne cui videatur fieri inconsulto et inepte. Neque enim is esse potest contemplationis finis, ut veras res coram agi putes, vel solum argumentum fabulae pernoscas vel eadem sentias, quae ii videntur sentire, qui agunt. Scilicet est animus natura ita comparatus, ut hominis vere calamitosi conspectu eum sensum capiat, qui alienus quam maxime est ab oblectatione, ut ipse speret, vel metuat prope eadem cum illo, sibique accidere existimet, quae ille patiatur infortunia. Contra, ut solus pulchritudinis sensus e tragica contentione redundet ad spectatoris animum, meminerit necesse est, totam, quam videat, rem

esse artis opus, h. e. opus fictum, e quo si pulcritudinem exceperis, nihil profecto, quo oblecteris, remaneat.

E quibus tragoediae legibus antequam de Philoctetae judicarem conformatione, quibus haec fabula constaret, partes putavi esse suo ordine enarrandas.

Cap. II.

Philoctetae partes suo ordine enarrantur.

Insulae Lemni littore agnito Ulysses edocet Neoptolemum, quomodo Philocteten, quem e specu intellexerunt esse egressum, simulata amicitia cum telis Herculis capiat, sine quibus Trojam Deorum voluntate expugnare non liceat. Accepta tandem fide, abit Ulysses omne abducendi Philoctetae negotium e navi moderaturus 1 — 34. Progreditur deinde chorus, qui Philocteten, de cujus conditione per Neoptolemum paullum certior factus est, luget gravi morbo

afflictum ac prope omnibus alimentis destitutum in hac solitudine vivere. Quae mala divinitus inflicta ei esse significat Neoptolemus. At e clamore audito ipsum Philocteten accedere sentiunt. — 220.

Is, postquam Neoptolemum e Trojana expeditione reversum esse audivit, suam enarrat sortem, ejusque auctoribus Atridis et Ulyssi mala imprecatur — 316. Iisdem viris infensum se quoque esse profitetur Neoptolemus, ex quo Achillis patris sui arma Ulyssi prodiderint. Cujus injuriae testem et vindicem nuncupat chorus Cybelen — 403. Tum Achivorum principum Trojam profectorum sortem percontatus Philoctetes rogat Neoptolemum, se ut domum abducat. Quod Neoptolemus a choro admonitus facere promittit — 529. At nauta intervenit, qui nunciat, Phoenicem cum sociis Neoptolemum persequi et navigare Ulyssem, qui Philocteten a Diis per Helenum jussus volentem nolentemve sit abducturus. Quo nuncio perterritus Philoctetes, quoniam sequi Ulyssem non vult, Neoptolemum cunctantem accelerare jubet

abitum. Cujus parandi caussa dum accedunt ad speluncam, chorus carmine memorat, quantum se misereat Philoctetae, quo neminem cognoverit magis miserandum. Visurum eum tamen mox patriam tandem esse significat — 729.

Interea Philoctetes specum introiturus morbi impetum experitur: Neoptolemo tela tradit, quae tueatur; fit novus morbi impetus et gravior. Promissi fidem, quam dare jussit Neoptolemum, accipit. Dormientem Philocteten consultius ducit chorus relinquere. At per Deorum voluntatem hoc non licere monet Neoptolemus — 864.

Philoctetae expergefacto fraudem Neoptolemus aperit. Ille tela reposcit, quae Ulysses vetat reddere. Vim inferre conanti Philoctetes negat se fore morigerum — 1000. Ulysses offensus abit. Sequitur Neoptolemus relicto choro, quem vocare promittit, quando sit conscendenda navis — 1080. Philoctetes de futura miserrima vita sollicitus queritur, et quamquam chorus et consolando et monendo et

vituperando sedare studet ejus animum, de salute tamen prorsus ille desperat, Trojam abire recusans. — 1217.

Sed redit Ulysses cum Neoptolemo, qui ob fraudis invidiam, invito Ulysse, tela Philoctetae reddit. Telis recuperatis Philoctetes vi abducere ausum cogit abire. Neoptolemus autem cum Philoctete, quem blandis verbis ad suam sententiam ducere frustra conatus est, in patriam navigare constituit. — 1401. Quod quominus fiat, impedit Hercules Jovis mandata renuncians, ut uterque Neoptolemus et Philoctetes ad Trojam expugnandam navigent. Quibus monitis ambo obsecuti abeunt, dum Philoctetes laeta voce valedicit insulae — 1468. Quo facto, chorus precatur Nymphas, ut faustam concedant navigationem.

Cap. III.

Philoctetae conformatio.

Omnis haec modo delineata fabula, nunc videamus, num legibus supra positis omnino respondeat et conformata sit ea ratione, quae sublimitatem spectatoribus excitet. Quae autem sunt cujusvis fabulae duae partes, nodus contentionis et nodi solutio, de iis deinceps dicendum est. Et contentio quidem intercedere nullo pacto potest, nisi inter vires sibi adversantes, quae si sunt in tragoedia, cernuntur in primae personae certo quodam consilio et Fati voluntate illi contraria. Ac consilium, quod acri studio sectatur Philoctetes, quam primam personam hujus fabulae recte dici nemo infitiabitur, spectat reditum in patriam. vid. v. 310. seqq. 468 — 506. Quo si navigare non liceat, in insula manere se malle Philoctetes significat v. 999. seqq. et 1204 — 1217. Cui in patriam redeundi consilio adversatur illud vaticinium, quod innuitur v. 68. seqq. 115. 610. seqq. 1434. seqq.

aliisque locis exponitur: Neoptolemum Trojam capere non posse, nisi Herculis telis cum Philoctete Lemno arcessitis.

Quae cum ita sint, quo pacto statim ab initio hujus fabulae dici potest iniri contentio, in quam Philoctetes non venit ante versum 621. postquam Ulyssem sibi insidias struere audivit Fati ministrum. Quod quamquam contra primam fabulae legem videtur esse institutum, liberari tamen poeta potest ab invidia.

De quovis pulcrarum artium opere judicari oportet solum e sensu spectatorum, qui contemplando excitetur. Contentionem vero, a qua dixi initium capere debere fabulam, non eam interpretor, quae est acerrima atque in quam commissa statim ostenditur prima persona Fato vehementius resistens. Ut enim cujusvis acrioris contentionis ea est ratio, primum ut comparatis viribus altera pars alteram lacessat, tum fiat impetus, iterum iterumque concurratur, pugnetur vehementius, quoad utraque pars videatur vicisse, ambaeque discedant pares, quod

quidem fit in tragoedia; ita, quoniam contemplationis non unum momentum est, sed continuatur diutius, sensim sensimque sublimitatis sensus leniter debet excitari. Ad quam quidem normam hujus fabulae initium institutum et conformatum esse in promtu est.

Quae enim fiunt, prinsquam Philoctetes ostenditur, non solum de conditione, quantum ea potest cognosci, et insidiarum, quae struuntur, ratione, aliisque rebus plurimis certiorem faciunt spectatorem, praeparantque ad ipsius efferati hominis conspectum aequiore animo ferendum, sed praesagire faciunt etiam Philoctetae in patriam redeundi desiderium. Quod quantum esse debeat, maxime colligitur e miseriarum, in quibus versari dicitur, magnitudine et fraude, quam machinatur Neoptolemus, in patriam simulandi itineris. Quo revertendi summum desiderium ut non poterat non sentire is, qui decem fere annos mala perpessus erat tristissima; ita, quantopere aversaturus esset Philoctetes Ulyssis et Neoptolemi se abducendi consilium, potuit intelligi tum eo, quod infestis suorum infortuniorum tradendus erat auctoribus,

tum e dolosa fraude, qua opus esse existimabant, qui ad Trojam expugnandam debebant eum transvehere. Accedunt multa alia, quae leniorem in animo spectatoris excitant sensum, quem esse dixi ineuntis contentionis fructum. Quem enim non miseratione afficiat cogitatio fraudis simulataeque amicitiae, qua deceptus, verendum est, ne telis privetur iis, in quibus, etiamsi non unice salutem sciamus esse positam, praecipuum tamen esse vitae novimus praesidium. Quem quidem miserationis sensum instillat et nutrit carmen, quo miserandi chorus luget Philoctetae conditionem. Omnis autem magnopere augetur quantavis illa e nodo contentionis nectendo nata commotio, cum in scena comparet Philoctetes, quem bene praeparati contemplamur, novam affectionem sentientes, tum formae conspectu, tum cognita ingenii et morum ratione. Quem enim quisque auguratur ejus amorem patriae atque, quos inimicissimos habet Atridarum et Ulyssis odium, in eo firmissimum fore nefariae abductionis impedimentum intelliget, ubi Neoptolemo in patriam navigaturo enixis instare eum viderit precibus,

ut, quod jam diu exoptaverit, nunc contingere sibi patiatur. In apertum campum descendit dimicatio eaque acrior, postquam e nuncio Philoctetes comperit, Ulyssem in eo esse, ut ad se cum armis suis abripiendum appellat insulam. Nefario nimirum tunc huic consilio renititur, eo, quod fuga salutem quam primum petere constituit.

Sed amplius persequamur fabulam. Videndum enim etiam est, an solutio nodi aliena sit a justa reprehensione et liberari possit invidia, quam ab actionis initio depellere non admodum fuit difficile. Igitur ad fabulae finem ut transgrediamur, praecipua contentionis continuatae momenta paucissimis enumeranda sunt. Sunt autem fortunae conversiones plurimae eaeque egregiae.

Quominus feliciter Philoctetes effugiat periculum, impediunt morbi dolores, de quibus infra uberius disputabitur. Refectis deinde viribus, postquam fugae laetissima splendere coepit spes; accedit nova calamitas. Nam fraudem

fibi factam esse. Philoctetes intelligit, simulque omnem in patriam redeundi inanem videt spem, erepta tela, vitam ipsam ademtam. Tum laetior affulget lux, ut vicisse dicas eum, cui tela reddere conatur Neoptolemus, quae debebat auferre. At in inferiorem locum Ulysses, qui reddi tela vetat, eum dejicit. Neque tamen prorsus frangitur minis, immo mala imprecans inimicis, fortiter perstat in sententia. Sic in summum venit discrimen. Illi enim abeunt et, quem servare possunt, solum relinquunt ac perditum. Neque vero hic non acerrime, jam de vita desperans, repugnat choro, qui ultimum praecipit abire; nam mortem sibi inferre mavult, quam cedere hostibus. Et velit quis, ut se interficiat Philoctetes, aut Diis poenam det pertinaciae. Sic in summo contentionis discrimine vinceret Libertas: nam Philoctetes non sequeretur Ulyssem. Nihilominus inferiorem discedere diceremus Necessitatem, quippe cum telis potiti essent Herculeis. Is sane foret contentionis finis idoneus, sublimitatem summam, si quidquam, in animo excitans conjunctam cum metu, ne extrema omnia fiant, et miseratione,

ubi morte se tueretur Libertas, vel, quod majus est, morte lueret constantiam. En vero, quo hujus Sophocleae fabula denique convertitur, nodique contentionis quae est solutio! Tantum scilicet abest, ut post v. 1217. ubi ad infimum locum se depressum videt Philoctetes, chorus abire jubeatur ad navem, primaeque personae mala infligantur extremae poenae loco, ut Ulysses reversus in scena ostendatur cum Neoptolemo. Hic enim decepti Philoctetae ductus miseratione redit, ut, quod nemo exspectavit, invito Ulysse reddat tela Philoctetae. Sic novas prima persona accipit vires. Vix nos ejus miseret amplius, tela postquam semel recuperavit. Neoptolemus blande loquendo eam frustra conatur flectere: immo ipse fidem praestare jussus in patriam navigare constituit. Superior igitur evadit Neoptolemus. Ita male rem gessit Necessitas! At intercedit Deus ex machina. Non enim ferendum erat, Trojam non abduci Philocteten. Ut igitur, quod vellet, consequeretur Necessitas, curavit poeta dimittendo Herculem, qui, quod illi non potuissent, Philoctetae de itinere Trojam suscipiendo persuaderet,

et ita quidem, ut non tam per se et propositis in ipsa actione viribus solvi videretur nodus et expediri, quam per novam personam rumpi et perscindi. Ita fit, ut is, cujus paullo ante audivimus verba sublimitatem insigni modo excitantia v. 1197. seqq.

οὐδέποτ', οὐδέποτ', ἴσθι τόδ' ἔμπεδον,
οὐδ', εἰ πυρφόρος ἀστεροπητὴς
βροντᾶς αὐγαῖς μ' εἶσι φλογίζων.
ἐῤῥέτω Ἴλιον, οἵ θ' ὑπ' ἐκείνῳ
πάντες, ὅσοι τόδ' ἔτλασαν ἐμοῦ ποδὸς
ἄρθρον ἀπῶσαι.

is versu 1445. submisse respondeat:

ὦ φθέγμα ποθεινὸν ἐμοὶ πέμψας
χρόνιός τε φανείς,
οὐκ ἀπιθήσω τοῖς σοῖς μύθοις.

Sic sensim sensimque remissior fit summa spectatorum commotio, mutatamque primae personae videmus sortem, tantum ut absit, ut nos

amplius ejus misereat, ut ei liberationem e miseria malorum maxime gratulemur *).

Qua ratione ut finiretur fabula, maleque solveretur nodus, caussa fuit Fati praeceptum, quod Sophocles posuerat. Vaticinari enim jusserat Helenum v. 610. seqq.

> τἀπὶ Τροίᾳ Πέργαμ' ὡς οὐ μή ποτε
> πέρσοιεν, εἰ μὴ τόνδε πείσαντες λόγῳ,
> ἄγοιντο νήσου τῆσδ' ἐφ' ἧς ναίει τανῦν.

et v. 839. Neoptolemus sic est locutus:

> ἐγὼ δ' ὁρῶ, οὕνεκα θήραν
> τήνδ' ἀλίως ἔχομεν τόξων, δίχα τοῦδε
> πλέοντες.

*) Simili modo aliae tragicorum fabulae felicem habent exitum; quem partim debent argumento, quod vix magnopere a poetis potuit mutari, partim poetarum inscitiae, qui, quas singulas proponere debebant actiones, conjunxerunt. Quare vereor, ut omnino vera sit Suverni de hac re sententia pag. 220. l. l. proposita, de qua ut singulatim disputetur, operae pretium est.

τοῦδε γὰρ ὁ στέφανος, τοῦτον θεὸς εἶπε κομίζειν.

Abduci igitur debebat Philoctetes. Id autem neque vi neque fraude, neque persuadendo fieri poterat. Vim enim adhibere non licebat Neoptolemo, dum ille tenebat tela letifera. Erepto hoc uno praesidio, Philocteten vicisse, ea quae fuisset victoria? Neque vero fraude res omnis poterat perfici propterea, quod nulla tum fuisset contentio. Nam simulatae Neoptolemi amicitiae si fidem habuisset et promissione in patriam secum navigandi Philoctetes confisus esset; non fuisset repugnaturus, nisi conscensa navi, quae quidem non potuit ostendi spectatoribus. Quamquam egregie in nostra fabula Ulysses machinatur fraudem, qua sola capiendum Philocteten esse existimat. Et erat quidem haec fraus aperienda, quod etiam recte videtur factum esse a Sophocle, ut acriore dimicatione spectatorum augeretur commotio. Adhiberi autem ad hanc rem vix poterat aptius ingenium, ingenio Neoptolemi; quem, inconstans ut erat, nec satis pravo animo, par erat a consilio, quod exsequi jussus

erat, depelli, eoque multarum Philoctetae esse fortunae conversionum auctorem. Denique suadendo et praecipiendo si poeta eum curasset abduci, inde non exstitura fuisset tragoediae nomine digna contentio, quippe quae parum retinuisset, multo minus commovisset animos. Non igitur nisi detecta fraude, telis ereptis, cognitoque nefario Trojam abducendi consilio, licuit suaderi Philoctetae, ut cederet monitis. Quaecunque autem proponere Neoptolemus potuit praemia, valitudo corporis, bonorum omnium copia, opes, denique gloria e Trojae expugnatione capienda, quamquam praesertim in hisce miseriis non poterant non admodum exoptata esse Philoctetae; comparata tamen non erant ad odium vincendum, quo Atridas ille persequebatur. Quapropter ad has res adhibenda esse poeta putavit Herculis monita. In quo divino fautore ac patrono non leve erat Philoctetae persuadendi adminiculum. Quod modo ne nimium esset, tantumque Fati voluntatis exsequendae praesidium, ut, qui paullo ante, loco laudato v. 1197 seqq. ne Jove quidem ipso fulminibus minante, abiturum se Trojam esse dixerat, eum

laeta voce morigerum conspiceremus Jovis nuncio. Ea vero est inconstantia et totius mentis conversio ingeniique primae personae incredibilis mutatio. A cujus rei invidia quum equidem non habeam, quo poetam liberem; rationem indicare liceat, qua, salva Fati voluntate potuisse videatur instituì nodi contentionis solutio.

Quodsi Philoctetes cum telis Trojam erat abducendus, id fieri non debebat, nisi libertate ejus servata, ita potissimum, ut ipse hanc sortem denique eligeret. Quae res ut sublimitatem excitaret et maxime miserationem, quae summa esset in fine, sane quaedam debebant adhiberi, a nostro poeta usurpata, quae Philocteten moverent, ut cederet Fato et sequeretur Neoptolemum, vitae nimirum, qua in Lemno utebatur, aerumnae, morbus non nisi ab Aesculapio ipso sanabilis, gloriae e Troja expugnata nanciscendae spes, Herculis demum monita; sed ex altera parte ponenda erant, quae eum ab hac Fati voluntate exsequenda deterrerent, cogerentque, nisi in patriam navigare liceret, in

Lemno remanere et vetarent Trojam proficifci. E quibus unum effe poeta voluit infeftorum Atridarum et Ulyffis odium, quod multorum illorum fpem bonorum facile fuperaret, deinde tela a Neoptolemo recuperata, in quibus effet vitae, quamvis aerumnofae, maximum praefidium. Quibus rebus ad alteram nunc, nunc ad alteram partem ducto, diverfisque turbato animi affectionibus, maxime metu certorum malorum, libere eligenda denique erat altera fors ea, ut Trojam navigaret cum Neoptolemo. Et ut ita quidem faceret, maxime Herculem auctorem ei effe oportebat. Neque vero crimini poetae hoc effe arbitror, quod Deum juffit defcendere. Deorum enim adventus in terra ut illa aetate non funt incredibiles, ita in hac ancipiti re confilium Herculis, de cujus telis nunc agebatur, a Philoctete fi non exfpectari, at defiderari poterat. Patrono autem divino ut Philoctetes aliquando obfequeretur; nullo pacto tamen ejus monitis eo debebat adduci, ut infeftiffimo Atridarum atque Ulyffis odio depofito, laeto animo Trojam proficifceretur, immo, obfequi iis, quos haberet inimiciffimos, eam non poterat non fummam

putare miseriam, cum animi tamen constantia denique subeundam. Cujus infelicis conditionis sensu male affectus liberaeque voluntatis eximia vi spectatus si Philoctetes insulae valediceret, non minus nos ejus misereret, quam sublimitatis sensu animum videremus esse maxime commotum.

Cap. IV.

Actus primus Philoctetae tentatur.

Postquam de totius fabulae conformatione dictum est, ut intelligeretur nodus contentionis rectene an male nexus esset et solutus; reverti juvat ad actum primum, qui in alio genere videtur esse notandus.

Et primum quidem, id nonnihil habet offensionis, quod, quibus rebus Ulysses inde a versu 69. movere studuit Neoptolemum, ut committeret fraudem, qua sola Philocteten putabat esse capiendum, eaedem paulo post v. 113. seqq.

prope omnes et pluribus repetantur. Quamquam enim Ulyſſes inculcaverat, ut tela Philoctetae caperet Neoptolemus, ſine quibus Troja non expugnaretur, v. 68.

εἰ γὰρ τὰ τοῦδε τόξα μὴ ληφθήσεται,
οὐκ ἔστι πέρσαι σοι τὸ Δαρδάνου πέδον.

et v. 81.

ἀλλ' ἡδὺ γάρ τοι κτῆμα τῆς νίκης λαβεῖν,
τόλμα·

leguntur tamen haec v. 112 et ſeqq.

ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ
κέρδος δ' ἐμοὶ τί τοῦτον ἐς Τροίαν μολεῖν;

ΟΔΥΣΣΕΥΣ
αἱρεῖ τὰ τόξα ταῦτα τὴν Τροίαν μόνα.

ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ
οὐκ ἄρ' ὁ πέρσων γ', ὡς ἐφάσκετ', εἴμ' ἐγώ;

ΟΔΥΣΣΕΥΣ
οὔτ' ἂν σὺ κείνων χωρὶς, οὔτ' ἐκεῖνα σοῦ.

Simili modo Neoptolemus ait v. 88

ἔφυν γὰρ οὐδὲν ἐκ τέχνης πράσσειν κακῆς;

postquam Ulysses huic objectioni occurrerat v. 79.

ἔξοιδα καὶ φύσει σε μὴ πεφυκότα

τοιαῦτα φωνεῖν, μηδὲ τεχνᾶσθαι κακά.

Et quae Ulysses commemorat δύο δωρήματα v. 119

σοφός τ' ἂν αὐτὸς κ' ἀγαθὸς κεκλῇ ' ἅμα.

annon jam significavit v. 82 et 85?

δίκαιοι δ' αὖθις ἐκφανούμεθα,

— — κἄτα τὸν λοιπὸν χρόνον

κέκλησο πάντων εὐσεβέστατος βροτῶν.

Erat igitur res aut ita instituenda, ut Neoptolemus post Ulyssis sermonem v. 85 finitum statim obsequeretur, quum videret non exigua ex hac fraude ad se redundatura esse commoda, aut Ulysses non ante afferre debebat ea, quibus persuaderet Neoptolemo de doli faciendi necessitate, quam is sententiae restitisset. Iam vero si illam secutus poeta esset viam, aegre sane careremus voluptate, quam gignit illa Neoptolemo persuadendi, bonamque ejus naturam vincendi ratio inde a v. 86—119 exposita.

Sunt praeterea in hoc diverbio aliae necessariae sententiae eaeque aptissimo loco adhibitae, atque ea ipsa, quae bis sunt tradita, uberius ac majore cum perspicuitate, quam ante, sunt expressa. Verba autem v. 67 εἰ δ' ἐργάσει —— Δαρδάνου πέδον et v. 79 — 85 si deessent, non modo nemo ea desideraret, verum etiam, quae nova deinde et necessaria opponeret Neoptolemus, ea majorem habitura essent vim in spectatorum animis.

Neque vero minus hunc primum actum ceterum egregie comparatum ad languorem usque produxisse videtur poeta eo, quod chorum per Neoptolemum jussit fieri certiorem de Philoctetae domicilio omnique ejus conditione v. 144 — 168, de qua jam erat expositum in initio fabulae. Et primum quidem de διστόμῳ πέτρᾳ, quam Ulysses v. 16 descripserat, ad chorum ait Neoptolemus 159 et 160

οἶκον μὲν ὁρᾷς τόνδ' ἀμφίθυρον
πετρίνης κοίτης.

licet eam oſtenderit v. 147 verbis τῶνδ᾽ ἐκ μελάθρων. Deinde, quae continentur v. 162 — 168, jam audivimus inde a v. 40 — 46. nimirum Philoctetem non eſſe in ſpecu, ſed videri exiiſſe ad venationem. Quid? quod more faſtidioſo, ab Euripideis fabulis non alieno, ut occaſionem habeat Neoptolemus ea omnia exponendi, chorus quaerit v. 161

ποῦ γὰρ ὁ τλήμων αὐτὸς ἄπεστιν;

Quamquam verſu 152 dixerat: νῦν δ᾽ ἐμοὶ λέγ᾽ αὐλὰς ποίας ἔνεδρος ναίει, καὶ χῶρον τίν᾽ ἔχει. et v. 157: τίς τόπος; ἢ τίς ἕδρα; τίν᾽ ἔχει στίβον; Maxime autem offenſioni ſunt v. 144 verba Neoptolemi, qui, antequam v. 149 ad haec chori verba reſpondeat, τό μοι ἐννέπε, τί σοι χρεὼν ὑπουργεῖν, alieno loco haec inferit:

νῦν μὲν, ἴσως γὰρ τόπον ἐσχατιαῖς
προσιδεῖν ἐθέλεις, ὅντινα κεῖται,
δέρκου θαρσῶν. et q. ſ.

Quibus quidem omnibus, quae Neoptolemus chori inſtituendi cauſſa retractat, ſuperſedere

poeta poterat, si placuisset, more relicto, permittere, ut chorus audiret, quae initio fabulae ab Ulysse et Neoptolemo dicerentur. Cui colloquio chorum non interfuisse, ut e locis modo notatis intelligitur, ita etiam inde patet, quod Neoptolemo chorus suadet v. 833, dormientem Philocteten, ereptis telis, solum in insula relinquere. Nescit nimirum chorus, Philocteten una cum telis esse abducendum, confer. v. 839 seqq. quandoquidem Neoptolemus v. 196 seqq. non nisi de telis monuerat ad Trojam expugnandam potiundis. Quapropter aut omnino non certior erat chorus faciendus de iis, quae eum audimus percontari, aut institui debebat illo loco quo instituitur. Si non ostenderetur choro domicilium Philoctetae et edoceretur de hujus miserrima conditione; cogitandus foret aut ea omnia habere cognita, quae percontatur, aut ignorantiae suae a poeta esse relictus. Illud locum habere non potuit, quia primum nunc chorus in hanc insulam venerat. Quodsi ignarus erat omnis illius regionis et consilii rerum gerendarum; debebat vel propter chori partes, quas gereret, Philoctetae nosse conditionem.

Ut autem fingeretur, antequam ad insulam appulisset ab Ulysse esse plurima edoctus; nonnulla tamen non nisi in illo ipso loco potuerunt ostendi, ut taceam; totam actionis primam partem tum fuisse omittendam, quandoquidem ineptum foret, quae chorus ab Ulysse cognoverit, ea fugere Neoptolemum. Quum igitur Sophocles chorum constare voluisset non e Lemniis, sed nautis Ulyssis, hoc Neoptolemi cum choro instituendum colloquium, neque potuit omittere, neque aptiore loco inserere. Quapropter nolimus nimis severi esse in notandis iis, quae, etsi jam innotuere spectatori, iterum tamen exponit Neoptolemus *). Quamquam non diffitear, copiam verborum, quibus nautae isti de Philoctete sciscitantur, aptiorem esse horum hominum ingeniis, quam suaviorem spectatoris auribus.

*) Comparetur Trachin. v. 166 seqq. ubi similiter Dejanira cum choro communicat idem, quod v. 80 sq. narravit Hyllo.

Cap. V.

Sophoclis Philoctetes cum ejusdem nominis fabulis Aeschyli et Euripidis comparatur.

Quod de veterum aliqua Graecorum tragoedia fertur judicium, id non parum juvatur comparatis aliorum ejusdem argumenti fabulis. E quarum diversitate, ut fabulas scribendi ratio et cujusque poetae ingenium maxime cognoscitur, ita et toti fabulae et singulis ejus partibus [illegible] suum commode constituitur pretium. Idque certius fit in iis fabulis, quibus certatum esse scimus de praemio. Videtur enim non raro esse factum, ut, quum difficile esset Sophocli post Aeschylum proponere eandem cum illo fabulam et maxime Euripidi post utrumque, alter alterius actionis conformandae rationem relinquendam esse censeret, sive ut ne videretur esse illum imitatus, sive propterea, quod ipsi non probaretur ratio, qua alter idem tractasset argumentum. De Aeschylo autem, Sophocle et

Euripide, quorum quemque *) Philoctceten Lemno Trojam abducendum in scenam induxisse constat, difficile est judicium, cum, quod non certo scimus tempus, quo primum propositae [illegible] eorum fabulae **), tum, quoniam ex Ae[illegible] Philoctete nihil est nobis relictum, Euripid[illegible] autem ejusdem nominis fabulae fragm[illegible] paucissima nostrae prodita sunt memoriae.

[illegible]d. de Aeschyli Philoctete testimonium antiqui grammatici in hypothesi Philoctetae Soph. κεῖται, καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἡ μυθοποιΐα. Euripidem eandem fabulam tractasse satis testatur Hesychius in γαυρός. In utramque sententiam laudandus Dio Chrysosth. de quo infra.

Euripidis Philocteten esse scriptam Ol. LXXXVII docet Bentlej. Opusc. philolog. p. 20. edit. Lips. Ceterum huc pertinent haec Dionis verba p. 548 edit. Morell. — — λογιζόμην πρὸς ἐμαυτὸν, ὅτι τότε Ἀθήνῃσιν ὤν, οὐχ οἷος τ' ἂν ἦν μετασχεῖν τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων ἀνταγωνιζομένων. ἀλλὰ Σοφοκλέους μὲν πρὸς Αἰσχύλον, νέου πρὸς γέροντα. καὶ πρὸς Εὐριπίδην, πρεσβυτέρου πρὸς νεώτερον, ἀγωνιζομένου, μετέσχον τινές. Εὐριπίδης δὲ ἀπελείφθη κατὰ τὴν ἡλικίαν Αἰσχύλου· καὶ ἅμα, οὐ πολλάκις ἴσως, ἢ οὐδέποτε τῷ αὐτῷ δράματι ἀντηγωνίσαντο.

Quae servata debemus Dioni Chrysostomo, qui, comparatione inter Aeschyli, Sophoclis, Euripidisque Philocteten Orat. LII. instituta, primae fabulae partis exhibuit paraphrasin, quam emendatiorem edidit Valkenarius in Diatribe in Eurip. fragm. c. XII.

Quantum e Dione intelligitur, tres illi poetae Ulyssem adhibuerunt, qui Trojam abduceret Philocteten. A quo ne agnosceretur, infestissimi hominis personam quisque suo modo occultarunt. Et Aeschylus quidem non mutata forma Ulyssem induxit, cognosci eum tamen noluit a Philoctete, ratione, ut Dioni videtur, habita et exactorum decem annorum, per quos mutata esset Ulyssis facies, et morbi aerumnosaeque Philoctetae conditionis, quae, nisi delevisset, incertam tamen reliquisset vocis formaeque illius memoriam. Euripides autem a Minerva formam vocemque jubet mutari. Apud Sophoclem Ulysses absconditus moratur ad naves, dum timenda ei sunt Philoctetae tela. Quae antequam sint erepta, quum non nisi summo vitae periculo in conspectum venire possit Philoctetae;

habet Neoptolemum socium, qui, fraude facta, potiatur telis, quibus ereptis sperari potest, fore, ut Philoctetes ipse sponte sequatur. Talem ξυνεργάτην ut Aeschylus recte non adhibuit, qui per Ulyssem geri curavit omnia; ita Euripides, vereor, ne melius omisisset Diomedem, teste Dione, Ulyssi additum socium, cujus quae partes fuerint, e Dione certe non constat. Ceterum apparet, a Sophocle esse Neoptolemum adhibitum propterea, quod in fatis erat, per hunc capiendam esse Trojam, a Diomede autem, qui apud Homerum eadem saepe cum Ulysse subit pericula, socii partes in hac fabula non sunt aliena. Chorum autem, quem Sophocles e nautis Ulyssis constare voluit, apud Aeschylum et Euripidem constituerunt Lemni incolae. Utriusque chori est magna diversitas in eo, quod Lemnii stant a parte Philoctetae, Ulyssis autem socii debent commoda curare domini, de quo ipsi dicunt Philoctetae v. 1072.

ὅδ᾽ ἐστὶν ἡμῶν ναυκράτωρ ὁ παῖς· ὅσ᾽ ἂν
οὗτος λέγῃ σοι, ταὐτά σοι χ᾽ ἡμεῖς φαμέν.

Neque tamen hi neque Lemnii Euripidis dici possunt personae esse necessariae: nam illi

facile potuerunt ad naves retineri, hi manere domi. Similiter, quod Neoptolemum comitantur, id non fit fortuito, siquidem cum Ulysse sunt ad insulam advecti, et, qui Philocteten interdum visebant, Lemnii potuerunt huic actioni intervenire. Defendendum autem Euripides censuit esse chorum ab incuriae reprehensione, quod tot annis non auxilium tulerit Philoctetae. ὁ δ᾽ Αἰσχύλος, ait Dion, ἁπλῶς εἰσήγαγε τὸν χορὸν αὐτῷ πάνυ τραγικώτερον καὶ ἁπλούστερον· τὸ δὲ ἕτερον, πολιτικώτερον, καὶ ἀκριβέστερον. Quare apud Euripidem Philoctetes choro narrat suam calamitatem, quasi quem prorsus nesciant esse ab Achivis expositum. Cujus rei excusationem Dion petit ex aerumnosorum hominum more, qui etiam bene scientibus pluries narreant dolores suos. Neque enim nullam illius curam putat Lemnios gessisse, sed tantum raro, neque magna officia praestitisse. Quamquam Euripides Hectorem quemdam Lemniorum induxit ὡς γνώριμον, τῷ Φιλοκτήτῃ προσιόντα, καὶ πολλάκις συμβεβληκότα; Philoctetes autem Sophoclis ad se, prorsus

relictum ab incolis, narrat interdum appulisse nautas. v. 308 — 311.

οὗτοί μ', ὅταν μόλωσιν, ὦ τέκνον, λόγοις
ἐλεοῦσι μὲν, καί πού τι καὶ βορᾶς μέρος
προσέδοσαν οἰκτείραντες, ἤ τινα στολήν·
ἐκεῖνο δ' οὐδεὶς, ἡνίκ' ἂν μνησθῶ, θέλει,
σῶσαί μ' ἐς οἴκους·

et 495 memorat, quibus frustra mandata dederit ad patrem. Qua ratione multo tristiorem reddi Philoctetis sortem, quis neget, praesertim propter spem in patriam redeundi factam et ereptam.

Sed de ipso Euripidei Philoctetae fragmento, quantum e paraphrasi a Dione transscripta cognoscitur, videamus. Cujus partes ferme sunt hae.

1. Ulysses, qui primus et solus prodit, viros ait magnanimos et claros esse audaces. Cujus gloriae cupiditate se adductum huc venisse, ut, quod esset difficillimum, Philocteten cum telis Herculis arcesseret, sine quibus capi non posse Trojam ab Heleno significatum esse. Clam

autem regibus id se egisse, veritum scilicet, ne non feliciter rem gereret. Dubitantem tamen animum in somno confirmasse Minervam, formae vocisque mutandae facta promissione. Nunc, quum cognoverit, Trojanos Philocteten ejusque tela in Achivorum perniciem praemiorum spe esse capturos, extrema quaevis esse audenda in re, in qua omnia sint posita. Philocteten ubi accedere sentit difficulter incedentem, Minervam, ut fidem praestet, rogat. — 45. A Philoctete interrogatus, qui esset et cur huc venisset, Ulysses respondet, esse se ex Argivis Trojam profectis. Qua re incensum et telis minantem ut videt Philocteten, addit, se tamen non esse Achivorum amicum, sed, quod omnibus, qui non periissent, acciderit, ab Ulysse in exilium missum: exemplo memorato Palamedis, qui falso proditionis crimine accusatus periisset, fuga, ait, se hac in terra salutem petiisse. Ad haec postquam Philoctetes, quae ab eodem perpessus esset mala, enarravit; ille rogat, velit curare, domum ut sibi liceat navigare. At Philoctetes, nullam a se inope et perdito sperari posse salutem, significat; attamen se

daturum ei esse hic morandi veniam, quoad aliunde meliorem sortem nactus fuerit; tetrum autem et fastidiosum suum esse domicilium morbique vestigiis plenum, neque bene ei fore apud se, qui morbo soleat interdum vexari quamquam nunc remissiore, quam antea.

Quem prologum suo more Euripidem instituisse in promtu est. Omnia enim Ulysses spectatorum caussa dicit, ea scilicet, quae cogitaverit antea, non, quae nunc cogitet ad ipsam actionem pertinentia. Neque sunt necessaria, si exceperis preces ad Minervam factas, ut promissum sibi auxilium ferret. Quae quidem bene sunt adhibitae. Simili modo apud Sophoclem v. 134. idem Ulysses rem suam Minervae vult commendatam. Ceterum multo aptius Ulyssem modo e navi cum Neoptolemo egressum induxit Sophocles. Hac enim ratione ea, quae scire spectatoris debebant interesse, sic innectere potuit fabulae, ut ad actionem ipsam pertinerent. Etenim in terrae littore, quam post decem ferme annos nunc primum conscenderat, quid Ulyssem prius in mentem revocare oportebat,

quam ea, quae aliquando in hac insula gessisset? Et memorare debebat, quae ab initio fabulae legimus, propter Neoptolemum, cui haec omnis regio et Philoctetae expositio erat ignota. Quam commode autem foris esse poeta jussit Philocteten, nemo non intelligit. Neque enim si domi erat, specus investigari poterat et describi, et vix edoceri Neoptolemus, quomodo Philocteten caperet. Quid vero, annon haec omnia facile poterant poni et fingi Neoptolemus cum Ulysse de Philoctetae abducendi ratione convenisse et sic magna certe primi actus parte inde a v. 50 — 120. supersederi? Quam actionis partem ut non dicam aegre nos esse desideraturos, ne debebat quidem Ulysses, antequam res erat peragenda de fraude Philoctetae facienda Neoptolemum instituere, neque de scelesto facinore patrando persuadere homini tam imbecillis et inconstantis ingenii. Ejusmodi enim homines ut ad quodvis pravum negotium praemiorum splendore possint adduci, ita tamen id fiat necesse est, ut sensibus semel captis statim ad rem ipsam, quam nefariam putant, ferantur. Non parum autem commovet spectatoris animum ratio, qua

uterque poeta Sophocles et Euripides Philocteten in scenam jubet prodire. Ut enim apud Sophoclem chorus, quid de clamore Philoctetae procul audito sentiat, aptissime cum Neoptolemo communicat, ita Euripides Ulyssem jubet, simulac conspexit, describere Philoctetae formam et habitum, tardo pede accedentis, atque, ut efferata hominis afflicti facies timorem injicit, Minervae implorare auxilium. Quem e primo Philoctetae conspectu concipiendum sensum, quum stuporem esse vellet Sophocles, altum servant Neoptolemus et chorus silentium, colloqui cum illo non ausi. Id vero optime videtur esse ab Euripide factum, quod Philoctetes occidere vult Ulyssem, quem ad Achivos pertinere cognovit. Actione enim sic exprimitur, quod Sophocles multis verbis tradidit. Omnino autem Euripides paulo atrocius et ferocius proposuisse videtur Philoctetae ingenium, quod Sophocles finxit humanitate conspicuum. Quare ut Philoctetes noster insigni cum laetitiae significatione Graecos hospites excipit, ita suspicantem videmus illum propter summum in Achivos odium, diuque Ulyssi diffidentem, donec is

inimicitiam et odium in Ulyſſem profeſſus eſt, injuriamque ſibi illatam memoravit et paucioribus quidem, quam Neoptolemus. Qui poſtquam inde a verſu 343 — 390 injuriam ſibi ab Ulyſſe factam enarravit, pergit deinde v. 403 — 453. de Achivorum principibus exponere. Et ſimiliter quidem, ut apud Euripidem Ulyſſes omnes periiſſe nunciat Palamedis amicos, qui non fugiſſent, Neoptolemus reſpondet v. 405.

> χ' οὗτος τεθνηκὼς ἦν· λόγῳ δέ σε βραχεῖ
> τοῦτ' ἐκδιδάξω· πόλεμος οὐδέν' ἄνδρ' ἑκὼν
> αἱρεῖ πονηρὸν, ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς ἀεί.

Quae verba, vellem, poeta prius poſuiſſet, omiſſis iis, quae de Neſtore dicit, v. 421 — 432. ita, ut poſt v. 418. Philoctetes diceret:

> τί δ'; εἰπὲ πρὸς θεῶν, ποῦ γὰρ ἦν ἐνταῦθά σοι
> Πάτροκλος, et q. leguntur v. 433 et 434.

Quod autem melius vix potuit inſtitui, ut ad Neoptolemum abiturum preces faceret Philoctetes, ut ipſum in patriam reduceret v. 468.

seqq. id prorsus mutatum ab Euripide neutiquam tangit spectatoris animum.

Cap. VI.

De Philoctetae actu tertio.

Neque vero praetereundus est locus, qui multos habuit defensores, actum tertium Philoctetae dico inde a v. 730 — 864. continuatum. Quo in loco quaeritur, num recte fecerit poeta, qui Philocteten doloribus vehementer vexatum voluerit in scena ostendi, praesertim quum aegroti hominis vulnus, quam sedem vident morbi, et clamor doloris vim exprimens non possit non spectatorum oculos atque aures ingrato sensu afficere.

De qua re notissima est inter *Lessingium* et *Herderum* agitata controversia, quorum ille poetam videtur excusasse, hic defendisse. Utriusque V. D. sententiam paucis complecti visum est, antequam quid mihi videretur, aperirem.

Et *Lessingius* quidem sic ferme de hac re statuit: Sophocles corporis doloribus in scena cruciari voluit Philocteten, quo excitaret commiserationem. Quos dolores non potuit non exprimemere *) clamore, quem natura jubet edi. Clamoris autem vis, quanto verius exprimeretur, tanto magis verendum erat, ne spectatorum

*) vid. Laocoon. pag. 4. Schreyen ist der natürliche Ausdruck des körperlichen Schmerzes, et pag. 8. Alles Stoische ist untheatralisch; und unser Mitleid ist allezeit dem Leiden gleichmässig, welches der interessirende Gegenstand äussert. pag. 44. Sie (die Dichter) müssen sie (die tapfersten Männer) klagen lassen; denn ein Theater ist keine Arena. pag. 45. Ihre Helden müssen Gefühl zeigen, müssen ihren Schmerz äussern, und die blosse Natur in sich wirken lassen. Verrathen sie Abrichtung und Zwang, so lassen sie unser Herz kalt, und Klopffechter im Cothurne können höchstens nur bewundert werden.

aures et honestatis sensum offenderet *). Neque unquam hac sola dolorum magnitudinem significandi ratione excitabitur miseratio, quae par sit afflicti hominis affectioni. Quare praeter clamorem vulnere, quod Philoctetae inflictum conspiceretur, doloris cogitationem poeta voluit augeri **). Attamen quum corporis dolores vix excitaturos esse censeret miserationis sensum, quem

*) l. l. pag. 32. Je näher der Schauspieler der Natur kommt, desto empfindlicher müssen unsere Augen und Ohren beleidiget werden; denn es ist unwidersprechlich, dass sie es in der Natur werden, wenn wir so laute und heftige Aeusserungen des Schmerzes vernehmen.

**) l. l. p. 33. „Wie wunderbar hat der Dichter die Idee des körperlichen Schmerzes zu verstärken und zu erweitern gewust! Er wählte eine Wunde und nicht eine innerliche Krankheit, — weil sich von jener eine lebhaftere Vorstellung machen läst, als von dieser, wenn sie auch noch so schmerzlich ist.

e fabulae contemplatione volebat nasci; alia addidit mala ut famem et solitudinem, quae cum illis conjuncta magis commoverent spectatoris animum *). Ne vero in contemtum veniret Philoctetes; fortitudinem ei affinxit insignem et magnum animum, qui ad nullam rem, nisi ad clamorem, posset cogi, ac pietate et honestate eum fecit conspicuum, quam in summa malorum dolorumque acerbitate et vehementia conservaret **). Deinde, quoniam miserationis sensus

*) l. l. p. 34. „So grofs und schrecklich er aber auch die körperlichen Schmerzen seines Helden machte, so fühlte er es doch sehr wohl, dafs sie allein nicht hinreichend wären, einen merklichen Grad des Mitleids zu erregen. Er verband sie daher mit andern Uebeln, die gleichfalls für sich betrachtet nicht besonders rühren konnten, die aber durch diese Verbindung einen eben so melancholischen Anstrich erhielten, als sie den körperlichen Schmerzen hinwiederum mittheilten.

**) l. l. p. 42 — 43.

ſpectatoribus nunquam clamore poſſet excitari tantus, quanto deberent affici, itaque non par eſſet clamori animi affectio, id ne ſentirent ſpectatores, ita poeta rem inſtituit, ut non tam clamore audiendo occuparentur, quam moverentur conſiliis et ſenſibus, qui choro et Neoptolemo ex iſto clamore excitarentur *).

Haec *Leſſingius*. Cui quae *Herderus* reſpondit **), ut paucis complectar, huc redeunt: Leſſingii ſententias, quibus reliquae nitantur, eſſe falſas has: In omni hac fabula corporis dolores primum eſſe fontem commiſerationis, et in hoc quidem actu clamorem eſſe praecipuum dolores exprimendi, ſenſumque miſerationis excitandi adminiculum ***). Vereor tamen, ut

*) l. l. p. 46 — 47.

**) v. kritiſche Wälder I. pag. 16. ſeqq.

***) v. l. l. pag. 55. — Bei Sophocles Philoctet ſey Geſchrei der Hauptton des Ausdrucks ſeines Schmerzes und alſo das Hauptmittel Theilnehmung zu wirken, das doch nicht iſt.

omnino haec ſit Leſſingii ſententia, quam ſi recte cepi, his continetur: Corporis doloribus clamore, ut natura jubebat, expreſſis et auctis vulnere rebusque aliis, quum poeta vereretur, ne non ſatis commoverentur ſpectatores; affectione et ſenſibus chori et Neoptolemi eos voluit retineri. Verum ipſi illi dolores, ut non ſunt, niſi calamitoſae conditionis pars, ita ceteris malis additis non tam graviores redduntur, quam augetur miſeriae notio, quae quo videtur acerbior, eo magis ſpectatoris animus ſenſu miſerationis commovetur. Quem ſenſum qui ſola dolorum conſideratione excitare ſtuduerit, is pulcrae artis opus non effecerit, propterea, quod ejusmodi commotio non grata eſt animo, niſi ſublimiore quodam regatur conſilio, cui exſequendo dolorum inſerviat contemplatio. Quod antequam uberius exponam, de Herderi ſententia videndum eſt. Qui quidem Philocteten cenſet eſſe virum fortem aerumnis oppreſſum: de cujus dolore ſpectatorem vix eſſe cogitaturum, niſi ipſum videret eo impugnari, Omnem autem hanc actionis partem, referre doloris ſenſim ſenſimque ad ſummam usque vehementiam

aucti, nec expreſſi, ſed repreſſi imaginem *). Quae ſententia magnopere vereor ne, quum Leſſingio opponeretur, ad contrariam partem progreſſa ſit quam pariter debebat effugere. Ut enim vix demonſtrari poterit, voculas iſtas ἆ ἆ, ἆ ἆ. v. 732. et παπαὶ, ἀπαππαπὰ et q. ſ. 746 et 754. non acri et clara voce, ſed ſuppreſſa eſſe editas; ita non recte videtur V. D. in ſuam ſententiam traxiſſe **) verba Neoptolemi, quae, quam clare pronuntiaverit Philoctetes illud ἀπαππαπαὶ παπᾶ etc. ſatis certo indicat v. 751.

τί δ' ἐστὶν οὕτω νεοχμὸν ἐξαίφνης, ὅτου
τοσήνδ' ἰϋγὴν καὶ στόνον σαυτοῦ ποιεῖς;

ἰϋγὴ enim non reſpondet noſtro Aechzen, ſed a Scholiaſte explicatur per ὀξεῖαν βοὴν et apud Suidam verbum ἰύζει per βοᾷ, κράζει. Maxime autem huc faciunt, quae Philoctetes dicit v. 876. ſeq.

*) l. l. p. 21.

**) ibid. p. 19.

ὦ τέκνον — πάντα ταῦτ' ἐν εὐχερεῖ ἔθου, βοῆς τε καὶ δυσοσμίας γέμων.

Adde verba chori v. 209. *διάσημα γὰρ θροεῖ*, et v. 215. seq.

ἀλλ' ἤ που πταίων ὑπ' ἀνάγκας βοᾷ τηλωπὸν ἰωάν, ἢ ναὸς ἄξενον αὐγάζων ὅρμον. προβοᾷ γάρ τι δεινόν.

„Qua e longinquo audita voce si incertum erat, navibus appellentibus acclamaret Philoctetes, an dolorem exprimeret; videndum est, an non ornatius, quam verius sensus totius loci redditus sit l. l. pag. 58—59. „das Ach kommt näher, es wird ein Wimmern, ein tiefes klägliches Ach — nun ist's erst vernehmlich! Sie haben sich nicht geirrt. Philoctet muſs kommen und ach! der Hirte kommt mit einem Tone der Schalmey, und Philoctet mit einem Tone des Jammers — er tritt auf! Ille *στόνος* autem *ἀντίτυπος*, quem vicinus mons repercussisse dicitur v. 1460, ut chori locos omittam et Ulyssis verba non urgeam v. 9, nonne docet,

Philoctetem dolorem expreſſiſſe clamore? Neque vero ſolus clamor auditur, ſed etiam ulcus foedum ſpectatorum oculis objicitur, quod Philoctetes deſcribit v. 783 et 84.

> στάζει γὰρ αὖ μοι φοίνιον τόδ᾽ ἐκ βυθοῦ
> κηκῖον αἷμα.

et v. 824. Neoptolemus ait de dormiente Philoctete:

> μέλαινά τ᾽ ἄκρου τις παρέῤῥωγεν ποδὸς
> αἱμοῤῥαγὴς φλέψ.

Quid? quod totus Philoctetae habitus non potuit non tam faſtidium ſuſcitare, quam horrorem injicere. Et vere injeciſſe ut jam ſuſpicari licet inde, quod decem annos in ſolitudine vixerat, neque reliquerant ei Atridae et Ulyſſes, niſi ῥάκη βαιά, οἷα φωτὶ δυσμόρῳ v. 274, ad quae interdum accedebat τις στολὴ, quam nautae dederant miſericordes, qui ad inſulam appulerant, v. 309; ita extra omnem dubitationem ponitur loco jam ſupra laudato, ubi ſtupore quodam inſigni ſtare cogitandi ſunt

chorus et Neoptolemus. Dixit nimirum Philoctetes, ubi illi non respondent, v. 225:

φωνῆς δ' ἀκοῦσαι βούλομαι, καὶ μή μ' ὄκνῳ,
δείσαντες ἐκπλαγῆτ' ἀπηγριωμένον.

Efferatus igitur est Philoctetes habitu, et vultu forsitan tristi propter dolores et inediam, ferociore ex solitudine. Et ut videretur quidem esse *δεινὸς ὁδίτης* v. 147, egregie curavit poeta inde a fabulae initio, quum exilis domicilii aerumnosaeque conditionis ejus descriptione, et telis, per quae cum ipso certamen inire nemini liceret, tum clamore, antequam ostenderetur, edito et forma ejus et habitu. Ejusmodi autem homini, si cuipiam, convenit, id facere, quod cogit doloris vehementia, clamorem edere horrendum.

Sed ut Philoctetes clamet; quaeritur tamen, hominem clamantem num liceat in scena ostendere tragica. Et quoniam clamor e corporis doloribus solet nasci, de his eorumque usu in tragoedia primum videndum est. Qua in re omnia redire videntur ad sensus notionem,

quam excitare debet tragoedia. At primum quidem ut voluntatis vis cognoscatur et ostendatur libertatis excellentia, ita res est instituenda, ut quidquid rationis liberaeque voluntatis imperio non pareat, ea hominis pars, quae sensu movetur, naturae, cujus instinctu regitur, legibus obnoxia esse intelligatur. Natura autem imperium exercet maxime doloribus malisque varii generis, quibus hominem afficit. Affectiones igitur prima fabulae tragicae persona experiatur, ita tamen, ut ostendatur simul excellentior hominis vis in voluntatis libertate posita, quae doloribus malisque, quibus corpus solet vexari, est longe superior evectaque supra omnes naturae leges. Et quum eo magis exhiberi possit excellentior et sublimior haec voluntatis vis, quo magis corpus naturae legibus succumbit; corporis dolores primae personae inflicti, acerrimi quidem et vehementissimi videntur tragoediae maxime convenire. Sed et miserationem ejusmodi affectiones adjuvant. Qui quidem sensus, ut vidimus, exsistit e contemplatione ejus, qui innocens patiatur mala. Quorum ut quaeque sunt acerbissima et innocentissime

inflicta, ita existimantur ad miserationem excitandam maxime esse idonea. Quapropter, ut primae personae nos misereat, poetae est faciendum, ut et malorum, quae Necessitas infligat, magnitudinem et primae personae probitatem, qua meliorem sortem meruit, cognitam spectatamque habeamus. E malis autem, in quae incidere solent homines, cur non corporis dolores, qui, ut saepe sunt gravissimi, ita integerrimo cuique possunt accidere, ac frangere valent vel fortissimi hominis animum, adhibeantur tum, quum omnia ad primae personae voluntatem vincendam quasi conspirant? Quorum dolorum quibus afflicta prima persona miserationem excitet, quae sit acerbitas, quantaque vehementia, necesse est spectatori significetur.

Sunt autem dolorum indices varii, quorum alter altero certior est et clarior, ut vultus distorti, ut corpus exesum, ut clamor, quo nihil certius doloris declarat magnitudinem, nihil aptius ejus acerbitatem significat, siquidem clamorem natura postulat et edere jubet, ubi repentino impetu vires hominis superavit. Nam

loquela etsi menti ministrat paretque voluntati, subito tamen quum accidit dolor, aut animus qualemcunque acerrimam experitur affectionem, fit naturae legibus obnoxia, ita, ut vocem os edere cogatur. Quamobrem recte adhibetur in tragoedia clamor, ex quo dolorum magnitudo cognoscatur, quam nisi cognoveris, non poteris animo commoveri. Ex alia tamen parte videndum est, ne clamor tragico sensui, cujus adminiculum esse intelligitur, officiat. Quaerunt enim saepe ii, qui male sunt affecti, dolorum aliquid levaminis in lacrimis, querelis, et ejulatu, ut dissolvant affectionem dolorisque sensum minuant. Quicquid autem ei, qui malis vexatur, contigit levaminis, id tantum abest, ut miserationis et sublimitatis sensum augeat, ut, quanto dolorum vim, quam quis patitur, minui videmus, tanto minus eximiam et sublimem ejus cognoscamus voluntatis libertatem. Jam vero quum Philoctetae clamorem audiamus, quidni statuamus, non omnino nos sublimitatis sensu tangi, meliusque Sophoclem spectatori consuluisse, si etiam exiguum illud dolorum levamen, quod in clamore invenit, ei eripuisset?

Quam sententiam relinquere jubet clamoris, quem Philoctetes edit, ratio. Neutiquam enim clamat, ut doloris sensum minuat, sed victum est a natura ejus os, voculasque edere cogitur. Et hoc quidem nomine excusatum esse censeamus Philoctetem, qui non, ut mulieres et infantes, continuo clamet effunditque lacrimas, sed non nisi vehementiore morbi facto impetu paucas voces protrudat. Nam ex illorum clamore vix doloris, quem sentiunt, magnitudinem possumus aestimare, propterea quod sunt mulieres vel infantes. Virum autem fortem et constantem quum semel clamare audivimus, summa dolorum vexari eum scimus acerbitate. Et ejusmodi hominem, quem natura victus est ad clamorem, non nisi paucas constat ore protrudere voculas, quae, quo celerius eduntur et vehementius, eo magis non tam videntur ingratiores esse auribus, quam doloris, unde natae sunt, describere magnitudinem certius. Nihilominus tamen in clamoris usu magna cautio adhibenda poetae est, ne immemor sit conditionis, qua neglecta, si clamare primam personam jusserit, nihil est, quod magis sit reprehendendum.

Quum vero sit difficillimum, quando semel corporis dolores in scenam inducti sunt, clamore uti parcius; suadendum est, ut omnino dolores qui corpus ipsum excruciant, in tragoedia non adhibeas, nisi fabulae argumentum te cogat ejusmodi mala primae personae immittere. Qua argumenti fabulae necessitate coactum nostrum poetam fuisse, quis infitiabitur? Notissima enim erat et omnibus trita de Philoctete, in Chryse insula viperae morsu vulnerato et ab Achivis in Lemno exposito, narratio. Vix igitur non afflictum inducere potuit Sophocles Philoctetem, quem semel voluerat fabulae esse primam personam. Atque inde quoque factum est, ut non morbo intestino vexatum eum in scena induceret, sed vulnus ostendi juberet, quoniam, ut non vulnere ictus esset Philoctetes, omnino non debebat velle. Et ita quidem instituenda erat fabula, ut, quae res doloris significarent magnitudinem, eae ne propter se contemplationi expositae crearent fastidium. Nam etsi in fabula, pulcrae artis opere, ubi omnia ficta sunt, non eam vim habent in spectatorum animis cum ceterae res, tum ulcus totum conspectum, quam

excitent in communi vita *); nunquam tamen nudis vulneris adspectus et odor excitare poterit sensum pulcritudinis. Repudiandum igitur poesie tragico est vulnus, ut clamor, nisi nobiliori alicui inserviat consilio, indeque fit doloris,

*) Huc pertinet quod *Jacobsius* V. Cel. monuit in nota quadam libri vernacule scripti. Charakteristik der vornehmsten Dichter Vol. II. p. 425. » — diejenigen Affekten, welche in einem Werke der Kunst durch die Mittel der Natur hervorgebracht werden, haben gar keinen Werth in dem Geschmacksurtheil. Der Anblick eines wirklich verwundeten, mit Eiter und Beulen bedeckten Mannes wird uns mit Entsetzen erfüllen, und unsere Sinnlichkeit wird ihn vermeiden, wenn nicht ein andrer Grund, oder ein Gebot der Vernunft uns zurück hält. Aber einen Philoktet, so wie ihn Sophocles schildert, sehen wir mit Mitleiden an, und es kostet uns keine Mühe, bey diesem Anblicke auszuhalten. Denn die Kunst des Dichters läßt

quatur quo vehementiorem et acriorem in homine probo et forti esse animadvertimus; eo magis tangimur miseratione. Est autem Philoctetis amor patriae non ardentior, quam odium in inimicos infestum. Eaque est priscorum hominum probitas. In qua sentiendi ratione, unde omne initium cum Necessitate certamen malaque, quae plurima patitur, nata sunt, quo constantius eum videmus perseverare, malorum facta accessione, eo penitius animis nostris sese insinuat miseratio. Quare non prius Philocteten poeta voluit morbi impetu affligi, quam animi ejus integritatem, et fortitudinem cognossemus. Ex altera autem parte ut augeretur miseratio, subito fieri jussit doloris impetum, majoreque vi iterari. Quae morbi invasio ubi aptius potuerit inferi, nullus in omni fabula invenitur locus, quoniam nullus est, vbi id malum accidisset

der Einbildungskraft, Wunden, Eiter und Beulen sehen, wo sie nicht sind, und dieses Spiel derselben beschäftigt uns zu unsrer Zufriedenheit.

incommodius et importunius. Ac[illegible]t enim tum, quum in summo Philoctetes versatur periculo, ne veniat Ulysses, moraque afferat perniciem. Fugam acceleranti nihil magis erat optandum, quam ut morbus cessaret, saltem donec conscendisset navem. At secus cedit res: inveterati morbi, qui nunc divino jussu redire videtur, novum sentit impetum. Et gravius nos commovet haec nunc immissa calamitas, quo majore laetitia affectus noster erat animus quum omni, quae antecesserat, actione, tum extremis chori verbis, qui postquam melico carmine commemoravit omnia Philoctetae mala, versu 718 seqq. ait:

> νῦν δ' ἀνδρῶν ἀγαθῶν
> παιδὸς ὑπαντήσας
> εὐδαίμων ἀνύσει,
> καὶ μέγας ἐκ κείνων·
> ὅς νιν ποντοπόρῳ
> δούρατι, πλήθει πολλῶν μηνῶν
> πατρῴαν ἄγει πρὸς αὐλὰν et q. s.

Sed quod ad ipsam morbi invasionem attinet, et iteratos morbi impetus, quorum alter altero esset

vehementiori Philoctetem experiri quam intelligitur, ex ejus clamore magis magisque aucto et pluries repetito, tum ex iis, quae Philoctetes de morbi sui natura dicit v. 758.

ἥκει γὰρ αὕτη διὰ χρόνου, πλάνοις ἴσως
ὡς ἐξεπλήσθη.

et v. 807.

ὡς ἥδ' ἐμοὶ
ὀξεῖα φοιτᾷ, καὶ ταχεῖ' ἀπέρχεται.

Et primum quidem doloris sensum ubi silentio nequit amplius superare Philoctetes, in clamorem erumpit v. 732. 736. 739. Fit novus et gravior morbi impetus, quem pluribus verbis exprimere jubet ejus vehementia v. 742 seq. Denuo novam vim sentit doloris v. 783. 784, qui adeo crescit, ut mortem sibi expetat. At summam affectionem, quam somnus sequitur, patitur v. 814 seqq. Clamat autem Philoctetes invitus, nec nisi doloris sensus nimius rumpit silentium, quo naturam primum vincere studuit, ut patet e verbis Neoptolemi v. 730.

τί δή ποθ' ὧδ' ἐξ οὐδενὸς
λόγου σιωπᾷς

Item, ejusdem Neoptolemi verba significant; v. 740.

τί ποτε πέπονθας; οὐκ ἐρεῖς; ἀλλ' ὧδ' ἔσει
σιγηλος; ἐν κακῷ δέ τῳ φαίνει κυρῶν.

Omnium autem id maxime observandum est: Philoctceten nunc haec mala pati, morboque afflictum in scena ostendi non eo consilio, ut animi ejus fortitudo et constantia exhibeatur voluntatisque vis habeat, in quo expromatur, sed ut ad summam dejectus calamitatem miserationem maximam excitet. Namque ut sublime ejus ingenium exploraretur, liberaeque voluntatis vis exerceretur, non morbi dolores poeta jubere eum debebat experiri, quos nosset, quorumque naturam longa consuetudine ita habebat cognitam, ut facilius et aequius ferre posset vel vehementissimum eorum impetum. Neque miseriae, in qua hoc in loco versari videmus Philocteten, magnitudo tam in doloris sensu, quo afficitur, posita esse videtur, quam in periculo, cujus cogitatione ejus animus excruciatur, ne morbi foedissimi fastidio adductus fidem non praestet Neoptolemus, ipsumque solum

relinquat. Quo timore maxime agitatus pri-
mum doloris vehementioris sensum dissimulat,
nec nisi, ubi servare amplius nequit, silentium
rumpit clamore, quo se prudenter deinde fingit
Deorum imploraffe auxilium in navigatione
praestandum. Quod repressi doloris consilium
aperte significat versu 742.

ἀπόλωλα, τέκνον, κοὐ δυνήσομαι κακὸν
κρύψαι παρ' ὑμῖν·

et v. 763. Neoptolemi verbis: τί δῆτα δράσω;
maxime perterritus ait:

μή με ταρβήσας προδῷς.

Versu autem 782. ubi novum sentit morbi im-
petum, spe prope omni abjecta, fore, ut cum
Neoptolemo in patriam possit navigare, dicit:

ἀλλ' οὖν δέδοικα, μὴ ἀτελὴς εὐχή, τέκνον.

et paulo post v. 788.

προσέρχεται τόδ' ἐγγύς, οἴ μοι μοι τάλας,
ἔχετε τὸ πρᾶγμα, μὴ φύγητε μηδαμῇ.

Quid? quod, postquam morbum mox cessatu-
rum esse monuit, v. 867. seqq. dextram sibi

dare jubet Neoptolemum, idemque his ejus verbis accipit:

ἐμβάλλω μένειν.

Comparetur v. 869. seqq. quibus, quantopere timuerit, ne solus in insula relinqueretur, significat:

οὐ γάρ ποτ', ὦ παῖ, τοῦτ' ἂν ἐξηύχησ' ἐγώ,
τλῆναι σ' ἐλεινῶς ὧδε τἀμὰ πήματα
μεῖναι.

In quo animi angore et timore, ne non rediturus sit in patriam, atque in hac aerumnosa conditione amplius sibi sit vivendum aut ab Ulysse homine inimicissimo telis Herculeis privetur, totius hujus fabulae partis quaerenda est defensio. Et longius quidem debebat produci morbi invasio, ut diutius Philoctetes isto timore vexaretur iteratoque dolore de consilio in patriam redeundi exsequendo denique desperare cogeretur. Jam vero facile intelligitur, vix verendum fuisse Philoctetae, ne non promissis staret Neoptolemus, nisi morbus, quo vexabatur, esset ejusmodi, ut et tetro hominis afflicti

conspectu et morbi gravissimi diuturnitate adductus mentem mutare posset, fideque fracta Philoctetem in insula solum relinquere. Debebat igitur poeta rem ita instituere, ut Philoctetes et acerrimis cruciatus doloribus et vultu distorto et clamore interdum expressis horrorem injiceret vulnerisque foedo odore et cruore ex ulcere destillante fastidium crearet Neoptolemo *). Atque augeretur necesse erat hic Philoctetae metus illo nuncio, ab Achivis Neoptolemo strui insidias. Namque, etiamsi Philoctetem in patriam secum abducere volebat, nunc ne debere quidem videbatur diutius hic morari, nisi ab hostibus capi mallet, quam Philoctetem aerumnis suis relinquere. In tanto rerum discrimine nihil accidere Philoctetae poterat importunius, magisque abominandum, quam hic morbi impetus, qui prohibebat abitum, neque vix poterat non Neoptolemum jubere fuga

*) Spectatores autem hic sensus ne tangeret, non erat verendum, ubi et Philoctetae et Neoptolemi ingenium, ac ratio, quae inter utrumque intercedebat, habebat, quod retineret animum.

quam primum salutem petere, et, quem servare promiserat, infelicissimum deserere. Pertinet autem hoc malum ad earum rerum genus, quas Fatum hominum consiliis objicit, et quibus ipsius voluntati eos cogit obsequi, tantoque aptius est tragoediae, quanto magis, quod contentionis, quam Fatum cum prima persona iniit, indicat vehementiam, commotionem spectatorum auget sensumque tragicum excitat. Et maxime quidem animum tangit miseratio, quum timere videmus Philocteten falso illo nuncio simulataque Neoptolemi amicitia deceptum, quod timendum non est, et incurrere fraudis nescium in perniciem, quam vult effugere. In manus scilicet tradit v. 763. seqq. Neoptolemo tela, in quibus prope solis salutem habet positam, ipseque abjicit, quod unum superest, vitae praesidium. Ac tuendum quidem hoc Herculis donum praebet hosti, veritus, ne, quando somno sopitus jaceret, ab Ulysse interea adveniente sibi eriperetur. Jam enim, ubi Neoptolemus tela possidet, quorum capiendorum caussa maxime venerat, invictisque spoliatum Philocteten sagittis, propter quas unice erat metuendus,

humique prostratum ac prorsus inermem somno videt sopitum, quidni timeamus, ne fraudem perficiat, itaque Philocteten relictum aut perire aut ex Fati voluntate secum Trojam navigare jubeat. Quodcunque instet primae personae periculum, id in promtu est, pessima quaevis timere spectatorem oportere, et anxio animo exspectare, quid Neoptolemus facturus sit, utrum Fati voluntatem exsecuturus, an miseratione ductus fidem praestiturus sit Philoctetae. Sic nos maxime retinet Neoptolemus, in cujus voluntate videntur nunc esse omnia posita, dum miserrimum Philocteten videmus vires morbo fractas somno reficere.

Alterum, quod posui, harum observationum genus, versatur in emendandis quibusdam locis hujus fabulae. Nam etiam post novissimam *Brunkii* Sophoclearum fabularum recensionem, cujus sagaci ingenio diligentique cura plurimi loci sunt expediti, non paucos tamen superesse, aut injuria ab interpretibus tentatos, aut conjecturis non tam emendatos, quam depravatos, aut denique, quorum difficultates omnino essent, quantum mihi constaret, a VV. DD. praetermissae, et aliorum me docuit judicium et, quam ipse institueram, harum fabularum maxime Philoctetae lectio. In qua tragoedia saepius pertractata quum nullius interpretis auctoritatem secutus, quidquid de singulis locis videram ab aliis notatum, examinarem; nonnullas nonnunquam lectiones inveni, de quarum veritate mihi non persuaderetur. Quas quidem emendare quum conarer, nonnulli fuerunt loci, quorum veram mihi viderer lectionem invenisse. Quorum locorum numerum ab *Hermanno*, Viro mea laude superiore, admodum laetor esse

auctum. Qui Vir quum tanta sit humanitate, ut eorum studium, qui litteras ab hac virtute dictas colunt, ita, ut qui maxime, incendat, nutriat regatque consilio, alios mihi suppeditavit locos, quos emendandos notasset, de aliis, in quos qualescunque scripseram observationes, ad marginem interdum adspersit animadversiones, quarum eas, quibus quid de hoc vel illo loco judicasset, innuerat, ut meas ornarem, addidi.

Diversa autem est eorum, quae de singulis locis scripsi, ratio. Et primum quidem in Codicum paucitate, qui Philocteten continent, nonnunquam ad unum bonarum lectionum fontem, Aldinam dico editionem, recurrendum fuit, e qua ut plurimae lectiones a Brunkio essent receptae, supererant tamen, quae vel integrae viderentur esse restituendae, vel ita certe comparatae, ut levissima facta litterarum mutatione, quid verum esset, exhiberetur. Sed ubi etiam hic omnium praestantissimus liber haerentem animum destituebat, conjecturam adhibere ausus sum. Quae quidem ex conjectura factae emendationes, quamquam cavendum esse sciebam,

ne audaciores justis harum rerum judicibus viderentur et juvenilem levitatem temeritatemque prae se ferrent, non omnino tamen hoc genus putavi esse refugiendum, quod vel a subtilissimis quoque criticis non solum non repudiatum, sed etiam commendatum est. Quidni enim, si, accurata cujusque loci instituta lectione, ubi examinata sunt omnia, quae ad loci intelligentiam aliquid faciunt, de sensus sanitate est desperandum, ad conjecturae confugiamus probabilitatem, id arbitrantes scriptorem dedisse vel scribere certe potuisse, quod ab ingenio suppeditatum ratio pro vero jubet habere. Et ut saepe certo dici nequeat, veram esse, quam inveneris lectionem, ne pigeat tamen sententias contulisse de rebus, quae maxime ad ingenium acuendum, mentis vires exercendas sensumque veri et pulcri excitandum videntur esse hominibus datae. Est autem artis criticae ea prima et saepe difficillima pars, ut, quae in quoque veterum scriptorum loco sit vitii sedes, non sentiamus, sed certis legibus constituamus. Quod si semel cognoveris, saepe simul ipsam veram lectionem inveneris, quamquam in tanta locorum diversitate

non desunt, in quibus vix probabile quidquam suppeditet ingenium. Quod ubi mihi acciderat, vel in aliud tempus emendationem visum est transmittere, vel doctorum et sagacium hominum relinquere ingeniis. Ex aliorum Virorum DD. maxime *Gedikii*, *Brunkii*, *Wakefeldii* emendationibus quae probarentur, praeter paucas, quas habebam quo confirmarem, eas tantum uberius exposui, quae non omnino verae esse viderentur. Ita facere licebat non perpetuum, quem dicunt, in totam hanc fabulam scribere auso commentarium; sed tantummodo observationum in nonnullos ejus locos specimen exhibituro. E quo scribendi consilio factum est, ut textum graecum non integrum recudi curarem, sed cuique loco, quem attingerem, graeca verba e Brunkii recensione praeponerem.

V. 54 seqq.

Ut Neoptolemus Ulyssis mandata cognoscat, et, quae sint socii partes, audiat, v. 54. interrogat: τί δῆτ' ἄνωγας;

ΟΔΥΣΣΕΥΣ.

τὴν Φιλοκτήτου σε δεῖ
ψυχὴν ὅπως λόγοισιν ἐκκλέψεις λέγων.
ὅταν σ' ἐρωτᾷ τίς τε καὶ πόθεν πάρει,
λέγειν, Ἀχιλλέως παῖς· τόδ' οὐχὶ κλεπτέον·
πλεῖς δ' ὡς πρὸς οἶκον, ἐκλιπὼν τὸ ναυτικὸν
στράτευμ' Ἀχαιῶν, ἔχθος ἐχθήρας μέγα,
οἵ σ' ἐν λιταῖς στείλαντες ἐξ οἴκων μολεῖν,
μόνην ἔχοντες τήνδ' ἅλωσιν Ἰλίου,
οὐκ ἠξίωσαν τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων
ἐλθόντι δοῦναι κυρίως αἰτουμένῳ·
ἀλλ' αὔτ' Ὀδυσσεῖ παρέδοσαν· λέγων ὅσ' ἂν
θέλῃς καθ' ἡμῶν ἔσχατ' ἐσχάτων κακά.
τούτων γὰρ οὐδέν μ' ἀλγυνεῖς· — —

Quod v. 55. legitur participium λέγων, magnae interpretibus fuit offensioni. Viderunt enim, λέγων cum ἐκκλέψεις non posse conjungi, quum λόγοισιν proxime praecedat. Et Gedikius quidem λόγοισιν mutavit in δόλοισιν. Quae conjectura quamquam confirmari videtur, versu 101, paullo infra laudando; tamen sic quoque, quoniam λέγων prorsus redundat, est, in quo haereas. Neque probatur verbum σκοπεῖν, quod Brunkius pro λέγων restituendum esse censet, quippe et audacior haec est conjectura, neque necessaria lectio. Namque ut non intelligitur, quo pacto e σκοπεῖν λέγων oriri, vel hoc illarum illius locum potuerit facile occupare; ita ne necessario quidem ad δεῖ addendum est verbum, quod bene potest subintelligi. Denique Wakefieldius, plena distinctione post λέγων sublata, scribit βλέπων, ita ut structura verborum magis ad sensum, quam ad grammaticas leges instituta, locum infinitivi sustineat. Verum etiamsi liceret tales dictiones rariores scriptori obtrudere; SS. Mathaeo tamen auctore,

quem unum V. D. laudavit, Sophocleae orationi verbum βλέπειν vix intulerim pro ὁρᾶν, φροντίζειν. Locus leniore emendatione videtur posse juvari, ut, nonnisi ultima littera alterius versus in finem alterius translata, scribatur,

τὴν Φιλοκτήτου σὲ δεῖν
ψυχὴν ὅπως λόγοισιν ἐκκλέψεις λέγω·

Et λέγειν quidem sic centies apud tragicos occurrere constat, ut sit *jubere*, cf. statim v. 101.

λέγω σ' ἐγὼ δόλῳ Φιλοκτήτην λαβεῖν.

et Oedip. Col. 856:

μὴ ψαύειν λέγω.

Sensus est: *curare te jubeo, ut verbis Philoctetem capias.* Eodem autem modo, quo hic omissum est ὁρᾶν, idem verbum subintelligendum est in Ajac. v. 557.

δεῖ σ' ὅπως πατρὸς
δείξεις ἐν ἐχθροῖς οἷος ἐξ οἵου τράφης.

Deinde λέγειν, quod sequitur v. 57, pendere e λέγω, nemo non videt. Tum post κλεπτέον

directa oratione Ulysses loqui incipit, ut solemus in vita communi. Neque enim cum Wakefieldio hunc verborum ordinem puto esse constituendum — λέγειν δὲ, ὡς πλεῖς. Longe convenientius Ulysses dicit: *navigas autem domum h. e. simulas navigare domum* et q. seqq. Quae sermonis ratio continuatur usque ad v. 64, ubi verba λέγων ὅσ' ἂν et q. s. varie sunt explicata. Ac Brunkius quidem et Wakefieldius etiam hoc participium λέγων e λέγειν v. 57. pendere arbitrantur. Gedikius legi jubet λέγουν. At probabilius referendum est λέγων ad ἀλγυνεῖς, quod sequitur, ita ut γὰρ, quod structuram verborum turbare videtur, ex familiaris sermonis consuetudine putetur esse adhibitum, sensusque redeat huc: *quaecunque contra nos vel pessima quaevis dixeris, eorum nullo crimine me offenderis.* Παρέδοσαν autem videndum est, an satis graviter dictum sit. Forsitan scribendum est προύδοσαν· *sed ea (arma) Ulyssi prodiderunt*, quo verbo significatur nefarie tradita esse Achillis arma alii, quam ejus filio. Quo infestius autem odium in Atridas et ipsum

Neoptolemum Ulyſſes jubet ſimulare, (compa-
rentur ea, quae ſtatim ſequuntur) eo aptius eſſe
putaverim verbum, quod aliquam innuit invi-
diam. Aliter ſe res habet in illo ipſo loco, ubi
fraudem facit Neoptolemus v. 372. Ibi Ulyſſes
ſuam et Atridarum cauſſam defendens recte di-
cit, quod huic ſententiae eſt contrarium:

Ναί, παῖ, δεδώκασ' ἐνδίκως οὗτοι τάδε.

Accedit, quod metro hac ratione conſulitur,
quod, quamquam in ſede tertia trimetrorum non
improbatur dactylus, hoc loco tamen quum poſt
παρέδοσαν plenius interpungendum ſit, videtur
iſto pede peſſumdari. Nam ut in fine verſus
tragici, exhauſtis jam pulmonibus, ſolutione
longae ſyllabae aegre celeritas et vis numeri
augetur, (vid. Hermannus in Praefatione ad
Eurip. Hecubam p. XLIII.) ita, quandocunque
ad finem vergit oratio, etiam in medio verſu
permutatione longarum et brevium ſyllabarum
aucta numeri celeritas displicet. Quamquam
tragicorum lectio haud magnam vim huic argu-
mento docet eſſe tribuendam.

V. 79. seqq.

In eadem oratione, cujus partem tractavimus, Ulysses pergit sic:

ἔξοιδα καὶ φύσει σε μὴ πεφυκότα
τοιαῦτα φωνεῖν, μηδὲ τεχνᾶσθαι κακά·
ἀλλ' ἡδὺ γάρ τοι κτῆμα τῆς νίκης λαβεῖν·
τόλμα· δίκαιοι δ' αὖθις ἐκφανούμεθα.

Magnam offensionem habet καὶ ante φύσει· *Scio etiam natura te non esse ad talia dicenda comparatum*; quasi quis πεφυκὼς esse possit alia re, quam φύσει. Ineptum esse καὶ sensit etiam Wakefieldius, qui legendum esse censet κεἰ i. e. εἰ καὶ — ἀλλὰ — *quamvis te noverim — tamen*. Quae emendatio vereor ut satis apta sit negligentiori, quod in omni hoc loco regnat, dicendi generi, et defendi possit haec particulae κεὶ collocatio. Scribendum esse videtur ἔξοιδα δὴ *Scio sane, te natura non esse eum, qui talia loquaris, malaque machineris. Verum tamen; dulce enim est, victoriam deportasse; rem suscipe.* δὴ enim indicat, vere aliquid dici

et. in communi fermone haec dictio vernacula ferme fic reddi poteft: *ich weiſs wohl*. In his conjunctionibus frequenter erratum eft male pronunciatione litterarum η et αι. Poft ἀλλὰ autem, quod cum τόλμα conjungere mallem et poft λαβεῖν commate interpungendum eft. Quamquam enim recte ἀλλ' — λαβεῖν conjunguntur; facit id tamen aliquid, quod folent tragici ejusmodi fententias generatim valentes, verbis, quorum rationem continent, ita poft ἀλλὰ inferere: vid. Elect. v. 256.

αἰσχύνομαι μὲν, — — — —

ἀλλ', ἡ βία γὰρ ταῦτ' ἀναγκάζει με δρᾶν,

ξύγγνωτε.

Oed. Col. 624. ἀλλ', οὐ γὰρ αὐδᾶν ἡδὺ τἀκίνητ' ἔπη,

ἔα μ' ἐν οἷσιν ἠρξάμην — — — —

V. 150. feqq.

Chori verba funt haec:

μέλον πάλαι μέλημά μοι λέγεις, ἄναξ,

φρουρεῖν ὄμμ' ἐπὶ σῷ μάλιστα καιρῷ.

In Ald. veteribusque Codd. post ἄναξ additae leguntur voculae τὸ σὸν, quae quum metro respuerentur, vexarunt plerosque interpretes. Brunkius e margine in textum illatas eas esse, malumque censet interpretamentum vocabuli ὄμμα, ad quod subaudiatur potius ἐμόν. Probabilius tamen statueretur hoc interpretamentum pertinere ad verba ὄμμ' ἐπὶ σ. μ. κ. ut τὸ σὸν φρουρεῖν idem sit quod φρουρεῖν, i. e. σ. μ. καιρῷ tuam rem custodire, tuis commodis inservire;

ita Electr. 74. — — σοὶ δ' ἤδη, γέρον,
τὸ σὸν μελέσθαι βέλτι, φρουρῆσαι χρέος.

et ejusd. fab. 252. ἐγὼ μὲν, ὦ παῖ, καὶ τὸ
σὸν σπεύδουσ' ἅμα
καὶ τοὐμὸν αὐτῆς ἦλθον.

Scribendus igitur foret locus sic: — ἄναξ,
φρουρεῖν, ὄμμ' ἐπὶ σῷ μάλιστα καιρῷ

ut vigilem, oculo ad tuam maxime utilitatem (intento) ut nominativus absolutus esse putetur, omisso participio. Eodem modo interpunctum

video esse a Wakefieldio. Vereor, ne id errore factum sit typographico: Nam parum sibi constans V. D. verba φρουρεῖν ὄμμα in nota vult esse *vigilem oculum servare*, in versione autem scribit: *rem dicis mibi — observare oculos tuos maxime cum opus est*. Jam quamquam illud τὸ σὸν in textum venire potuisse intelligamus, vix tamen mihi persuadebitur, omnino respuendas esse has voculas, quas habent Aldus et veteres Codices. Neque vero probatur sententia quam fundit Brunkii lectio. Etenim verba φρουρεῖν — καιρῷ, quae vocabulum μέλημα explicant, superflua sunt, quoniam idem exprimere debent, quod Neoptolemus chorum jusserat versu 148 et 149:

> πρὸς ἐμὴν αἰεὶ χεῖρα προχωρῶν,
> πειρῶ τὸ παρὸν θεραπεύειν.

Quid igitur chorus hanc sententiam repetit? Non repetit, censeo, sed novam haec verba continent sententiam choro quam maxime accommodatam, modo τὸ σὸν (subintellecto ἐστί) suo loco restituatur. *Quod me jubes curare*, ait

chorus, *quia diu curae mihi fuit, tuum est, tuis commodis inservire.* Nemo sane aliquid in his verbis desiderabit, adeo bonum sensum praebent. Ejiciendum igitur esse puto istud *ἄναξ*, quod ad *λέγεις* videtur esse additum, ut intelligeretur, qui esset, quocum chorus loqueretur, de qua tamen re non debebat dubitari. Scribendum igitur esse videtur:

μέλον πάλαι μέλημά μοι λέγεις, τὸ σόν,
φρουρεῖν ὄμμ' ἐπὶ σῷ μάλιστα καιρῷ·

Frequenter autem additum videmus in ejusmodi oratione nomen ejus, qui compellatur, ut *τέκνον*, *παῖ* et al. eodem modo, quo talia non raro male omissa a librariis desideramus, aut deprehendimus esse commutata.

V. 157 seq.

Chorus interrogat Neoptolemum:

τίς τόπος, ἢ τίς ἕδρα τὶν ἔχει στίβον;
ἔναυλον ἢ θυραῖον;

Wakefieldio satis liquet rescribendum esse *τίς ἔχει στίβος*, ad vocem scilicet *ἔναυλον*

redire nomina τόπος et ἕδρα; ad στίβος autem, vocab. θυραῖον. Cui lectioni non aliquem video inesse sensum, quam hunc, *quis locus, quae sedes, quae via habet intus aut foris versantem*, h. e. in quo loco, qua sede, qua via versatur Philoctetes, qui aut intus, aut foris est: quasi tertio aliquo possit esse loco. Sic inepte addita sunt verba ἔναυλον ἢ θυραῖον. Locus est expeditus, modo observes, chorum non audivisse, quae Ulysses locutus antea fuerat cum Neoptolemo, neque vidisse Philoctetae domicilium. Quare nunc certior fieri cupit de loco et conditione Philoctetae, idque paulo concitatius pronuntiatis complectitur verbis his: τίς τόπος et q. f. Et statim quidem intelligitur, ut verba τίς τόπος; idem valent quod v. 154. χῶρον τίν' ἔχει; ita vocem τίς ἕδρα respondere superiori λέγ' αὐλὰς ποίας ἔνεδρος ναίει. Quibus nunc novam addit quaestionem: τίν' ἔχει στίβον, ἔναυλον ἢ θυραῖον h. e. *fertne ejus vestigium intus an foras, estne in specu, annon?*

V. 187 seqq.

Lugubris chorici carminis hic est finis:

> βαρεῖ-
> α δ', ἀθυρόστομος
> ἀχὼ τηλεφανὴς πικρᾶς
> οἰμωγᾶς ὑπακούει.

Sic scripsit Brunkius pro οἰμωγᾶς ὑπόκειται: genitivos enim πικρ. οἰμ. e nomine τηλεφ. non pendere, sed verbum requirere, a quo regantur: id esse non posse ὑπόκειται. Jam igitur vertit: *Tristis autem loquaci ore procul resonans Echo acerbis ejulatibus respondet.* Optima sane haec est sententia. De vulgata tamen lectione videndum est, a qua illa Brunkii emendatio nimium quantum recedit. Wakefieldius, qui, pro ἀθυρόστομος, quod in versu antistrophico male respondet verbis παλάμαι θνητῶν, reponendum esse censuit veram, opinor, lectionem ἀθυρόγλωσσος, ab Hesychio per ἀθυρόστομος explicatam; de verbi ὑπόκειται potestate haec habet: *Quisquis alteri subjaceat, quiescit,*

eo, qui opprimit, quiescente; excitatur autem in libere movetur altero surgente. Et ad hanc notionem accommodari videtur figurata Sophoclis locutio: quoties scilicet cietur Philoctetae gemitus, una cietur Echo. Vereor, ne obscuram, falsam ideoque non gratam obtruserit V. D. Sophocli imaginem. Echo nusquam cogitatur sub eo, qui clamat, latere, multo minus sub ejus voce: neque *subjacere alteri* necessario est *ab eo opprimi*, neque vocabulum *oppressionis* cogitare nos jubet de *motione* ejus, qui modo ab oppressione est liberatus. Gedikius mavult ὑποκεύθει, hoc sensu: *Echo procul resonans ejulatus illius abscondit, ut evanescant in aëre irriti, nec ad aures cujusquam perveniant.* Verum Echo hoc habet proprium, ut, quicquid audiat, palam faciat, quod etiam aperte declarant h. l. vocabula ἀθυρόγλωσσος et τηλεφανής. Accedit, quod versu 1459. Philoctetes suam vocem repercussam esse dicit monte, et ipse chorus ἀντίτυπον στόνον Philoctetae memorat, de quo loco postea dicemus. Chorus haec dicit: *Philoctetes solus est in hac regione, neque quemquam habet secum,*

nisi, quae ejus gemitibus respondere solet, Echo. Cogitatur autem Echo ut Nympha, quae in monte aut sylva jacet recondita, ubi exspectat sonos, quos reportet: vid. Ovid. Metam. III. 355 — 400. Quid igitur, si scribatur:

βαρεί-
ας δ' ἀθυρόγλωσσος
ἀχὼ τηλεφανὴς πικρᾶς
οἰμωγᾶς ὑπο κεῖται.

Jacet Echo procul resonans (resonat) cum acerbis gemitibus, (ejulatu Philoctetae excitata.) Intelligitur autem τηλεφανὴς κεῖται idem esse, quod μακρόθεν φαίνεται, *procul auditur*, vid. Hesych. qui ad τηλεφανὴς habet μακρόθεν φαινομένη. Clamat autem Echo, quando luget Philoctetes, clamat ad gemitus vel cum gemitibus Philoctetae. Sic occurrit ὑπο in Electr. 630. ubi Clytaemnestra ait:

οὐκουν ἐάσεις οὐδ' ὑπ' εὐφήμου βοῆς
θῦσαι μ' ἐπ. ———

in Eurip. Bach. 156.

μέλπετε τὸν Διόνυσον
βαρυβρόμων ὑπὸ τυμπάνων
in Ion. 498.

Βαρείας autem est scribendum propter metrum, quod recte se habet in versu antistr. ὦ παλάμαι θνητῶν: neque quisquam dubitabit in chorico carmine duo epitheta ad unum nomen sine conjunctione referre, cujus rei exempla sunt frequentissima. Attamen, etsi excusari poterit vulgata hujus loci lectio ὑπόκειται, aut, quod parum recedit, sejunctim scriptum ὑπὸ κεῖται: non tamen satis gravis esse videtur haec dictio, et indigere emendatione, quam me doctior inveniat.

V. 212 seqq.

Postquam Philoctetae clamorem audivit, chorus haec dicit:

οὐκ ἔξεδρος, ἀλλ' ἔντοπος ἀνήρ,
οὐ μολπὰν σύριγγος ἔχων,
ὡς ποιμὴν ἀγροβότας, ἀλλ' ἤ
που πταίων ὑπ' ἀνάγκας
βοᾷ τηλωπὸν ἰωάν, ἢ ναὸς
ἄξενον αὐγάζων ὅρμον·
προβοᾷ γάρ τι δεινόν.

Verba οὐ μολπὰν σύριγγος ἔχων frigere cenſet Wakefieldius, ſcripſiſſe Sophoclem, οὐ μολπὰν σύριγγος ἤχων· divinationi ſuae manifeſto ſuffragari Scholiaſtae explicationem οὐ βοᾷ τερπόμενος σύριγγι, ὡς ποιμήν. At in magno V. D. verſatus eſt errore, quod ejus conjectura propter metrum ferri nequit. Reſpondet enim verſus antiſtr.

ἢ πᾳ τῇδ' ἢ τῇδε τόπων;

glyconeus polyſchematiſtus, h. e. antiſpaſtus cum choriambo, in cujus altera parte etſi loco choriambi dipodia jambica adhiberi poteſt, haec tamen unum ordinem continere debet. Quare in hoc ſyllaba, quae ante ultimam eſt, neceſſario brevis eſſe debet, ut in medio ordine, vid. Hermannus de metr. p. 223. Ceterum ne pura quidem dipodia jambica locum haberet, quandoquidem in antiſtropha eſt choriambus, cui dipodiam jambicam dare quae ei reſpondeat, equidem ab Hermanno ſaepe monitus religioni ducam. Structura verborum totius loci eſt haec: ἀνὴρ οὐκ (ἐστὶ) ἔξεδρος, ἀλλ' ἔντοπος, οὐκ

ἔχων μολπὰν σύριγγος, ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκας
βοᾷ τηλωπὸν ἰωάν, ἤ που πταίων, ἢ αὐγάζων
ἄξενον ὅρμον ναός. Chori sententia haec est:
*Iste vir non intus est sed foris, et sonus ejus quem
audimus non est cantus fistulae, sed clamor, quem
edit* et q. s. Verba οὐκ ἔχ. μολπ. σύρ. κ. βοᾷ
quae idem valent, quod καὶ οὐ μέλπει σύριγγι,
ἀλλὰ βοᾷ, explicavit Scholiastes: οὐ βοᾷ τερ-
πόμενος σύριγγι, ἀλλὰ τάχα προσκόπτων
ὑπὸ τῶν βασάνων βοᾷ. Quam non ineptam
Scholiastae lectionem cur cum Brunkio mutemus
scribente οὐ βοῇ τερπόμενος συρίγγος, ego
certe non video.

V. 225. seqq.

Philoctetes Neoptolemum ejusque socios ex
habitu Graecos esse opinatus sic loquitur:

φωνῆς δ' ἀκοῦσαι βούλομαι· καὶ μή μ' ὄκνῳ
δείσαντες ἐκπλαγῆτ' ἀπηγριωμένον,
ἀλλ' οἰκτίσαντες ἄνδρα δύστηνον, μόνον,
ἐρῆμον ὧδε κἄφιλον καλούμενον,
φωνήσατ', εἴπερ ὡς φίλοι προσήκετε.

Lectione ὀκνῷ δείσαντες ἐκπλαγῆτ' Reiskius et Wakefieldius offensi sunt propter tautologiam, quae fieret per δείσαντες et ἐκπλαγῆτε. Et ut prior quidem horum VV. DD. scripsit λεύσσοντες ἐκπλαγῆτ', ita Wakefieldius censet Sophoclem scripsisse aut:

καὶ μὴ μ' ὀκνῷ

εἴξαντες, ἐκπλαγῆτ' ἀπηγριωμένον

aut:

δείσαντες, ἐκτράπητ' ἀπηγριωμένον.

Vulgata nihil habet offensionis, modo verbum ἐκπλήττεσθαι cogitetur esse, *quocunque modo commoveri*. Sic Aeschyl. Choeph. 230. χαρᾷ μὴ 'κπλαγῇς φρένας. ὀκνὸς autem h. l. est *haesitatio*, (Hesych. ὀκνεῖ, δέδοικε, δειλιᾷ, εὐλαβεῖται, οὐ βούλεται) *cunctatio*, quae e metu exsistit, *vitium animi*, quo perculsi videbantur esse Neoptolemus ejusque socii, quippe timebant efferatum Philocteten δείσαντες ἀπηγριωμένον. Quae quum ita sint, in promtu est, δείσαντες multo gravius esse, quam, quae Viri

Docti reponi jusserunt vocabula, neque redundare. Sententia enim est haec: *ne efferatum me exhorrescentes animi haesitatione occupemini, ne nimirum alloqui me non audeatis, sed commiseratione mei potius commoti mecum loquamini.* Pariter vexavit interpretes locus qui sequitur. Omnes Libb. habent *καλούμενον*. Id mendosum jam dicans Brunckius, scribit *κακούμενον*, quod jam in mentem venit Gedikio. At esse certe debebat *κἄφιλως κακούμενον*. Wakefieldius vult legi *χωλούμενον claudicantem*, quod propter conj. *καὶ*, quae adjectivorum ad *ἄνδρα* pertinentium seriei finem facit, non ferendum est. Ceterum de veritate suae conjecturae nec his verbis persuasit: *anne Philoctetes, dum caetera mala studiose recenseret, maximi omnium esset obliturus, et cujus in sequentibus, ut par est, passim meminit? Nullus credas.* Philoctetes aperte se miserum esse declarat (*δύστηνον*), quatenus solus sit et amicis prorsus destitutus, ita ut, quo jam primum post decem ferme annos laetatur, conspectu popularium solitudinis magis sentire videatur acerbitatem, eaque imprimis proposita

illorum excitare commiserationem. Vulgata lectio ferri nequit: nam loci, in quibus positum esse dicitur *καλεῖσθαι* pro *εἶναι*, aut ita sunt comparati, ut ad famam provocetur, ut, si quis se hujus vel illius appellat filium, aut ubi *καλεῖσθαι* est *haberi quo aliquo*. Jam vero hic Philoctetes profecto non dicit: *existimor esse infelix*, sed *vere sum*. Locum expedivit Hermannus, qui quae scripsit ad meae scriptionis marginem, ut huic commentationi accedat aliquid ornamenti, liceat commemorare: *Ego*, *inquit*, *unius litterae mutatione locum sanandum arbitror*, *καλώμενον*, *exsulem*, *vid. Oed. T*, 1506, *Oed. Col.* 1363. *Eur. Phoen.* 1699. *inprimis autem simillimum locum Medeae* 512 — 515.

εἰ φεύξομαί γε γαῖαν ἐκβεβλημένη
φίλων ἔρημος, σὺν τέκνοις μόνη μόνοις,
καλόν γ' ὄνειδος τῷ νεωστὶ νυμφίῳ,
πτωχοὺς ἀλᾶσθαι παῖδας, ἥ τ' ἔσωσά σε.

Infeliciter eamdem emendationem fecerunt in Aesch. Agam. 1286.

V. 295. seqq.

Philoctetes ubi conditionem suam, quae inde ab expositione fuerit, describit, haec ait:

εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν,
ἀλλ' ἐν πέτροισι πέτρον ἐκτρίβων, μόλις
ἔφην' ἄφαντον φῶς, ὃ καὶ σώζει μ' ἀεί.
οἰκουμένη γὰρ οὖν στέγη πυρὸς μέτα
πάντ' ἐκπορίζει, πλὴν τὸ μὴ νοσεῖν ἐμέ.

Tum ignis deerat; at silex silice trita aegre edebat abstrusam flammam quae etiam me semper servat. At vereor, ne non dixerit Philoctetes, se servari, salvum praestari igne, qui, ut verba docent, quae sequuntur, non praebet valetudinem. Sequi certe debebat: *Nam omnia mihi praebet praeter valetudinem.* Dicit autem haec: *Nam domus, quae habitatur cum igne, (si ignem contineat) omnia suppeditat*: igitur non ignis solus. Illius autem sententiae vim sic minui in promtu est. Videndum est, ne verba sint corrupta. Suidas sub verbis ἄφαντον φῶς habet ὃ καὶ σώζει με ἀεί. Sensus non tam mutatus evadit, ut ferri possit, immo peior redditur: ignis, qui

etiam me semper conservet. Etenim prorsus sic non quadrat sententia quae sequitur. Adduxit tamen me haec Suidae lectio, ut scribendum esse existimarem ὁ καὶ σώζοιμ' ἀεί, *quem* (ignem) *etiam semper conservem*, h. e. quem etiam ligno super foco posito, dum licebit, nutriam. Cui sententiae caussa statim subjungitur haec generaliter expressa sententia: *Tectum enim quod ignem continet, omnia suppeditat.* Sic etiam Scholiastes hunc locum reddidit: ἡ οἰκία ἡ μετὰ πυρὸς οὖσα, καλῶς διοικεῖται. Dicitur στέγη, non ἡ στέγη: igitur non solum Philoctetae specus, sed quaecunque domus ignem continens πάντ' ἐκπορίζει, πλὴν —. Excipitur igitur aliquid τῶν πάντων, scil. valetudo, (τὸ μὴ νοσεῖν) quam tale domicilium non praebere dicitur, cuinam? num soli Philoctetae? profecto non! sed cuicunque, qui in ejusmodi domo habitat. Cur igitur ἐμέ? generalem esse oportet omnem sententiam, hoc modo:

πλὴν τὸ μὴ νοσεῖν τινά.

Quemadmodum similiter non semel factum est in Codicibus, ut quae generaliter expressa

essent, librarii, ad quam personam deberent referri, adnotarent. superscriptis ejusmodi prononominibus, facillime potuit scribi ἐμὲ, ἢ οἰκουμένη στέγη aut de Philoctetae specu esse acceptum, aut ad eum translatum.

V. 319. seqq.

Ad ea, quae Philoctetes de injuria narravit ab Atridis sibi illata, respondet Neoptolemus:

ἐγὼ δὲ καὐτὸς τοῖσδε μάρτυς ἐν λόγοις,
ὡς εἴσ' ἀληθεῖς, οἶδα, συντυχὼν κακῶν
ἀνδρῶν Ἀτρειδῶν, τῆς τ' Ὀδυσσέως βίας.

ΦΙΛΟΚΤΗΤΗΣ

ἦ γάρ τι καὶ σὺ τοῖς πανωλέθροις ἔχεις
ἔγκλημ' Ἀτρείδαις, ὥστε θυμοῦσθαι παθών;

ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ

Θυμὸν γένοιτο χειρὶ πληρῶσαί ποτε,
ἵν' αἱ Μυκῆναι γνοῖεν, ἡ Σπάρτη θ', ὅτι
χἡ Σκῦρος ἀνδρῶν ἀλκίμων μήτηρ ἔφυ.

Vitium inesse puto versui 319. Nunquam reperi in tali dictione praeposit. ἐνὶ. Dicunt enim Graeci aut μάρτυς τοῖσδε λόγοις aut τῶνδε λόγων. Scribendum esse videtur:

ἐγὼ δὲ καὐτὸς τοῖσδε μάρτυς ὢν λόγοις.

Quod dictum est pro ἐγὼ δὲ καὐτὸς μάρτυς τούσδε λόγους οἶδα, ὡς εἴσ' ἀληθεῖς. Cui conjecturae favet Scholiastae horum verborum explicatio, κἀγὼ νῦν μάρτυς εἰμὶ τοῖς ὑπὸ σου λεγομένοις. Ceterum ut participium ὢν sic frequenter occurrit Aeschyl. Agam. 1619 et 1630 et al. l. ita ὢν et ἐν in Codd. non raro commutantur, propter litterarum ω et ε transversarum similitudinem.

Verba, quae sequuntur, magnopere vexarunt interpretes. Alii κακῶν retulerunt ad ἀνδρῶν, ut Toupius, qui in Emendatt. in Suid. T. I. p. 134 scribi jubet:

σὺν τυχὼν κακῶν

ἀνδρῶν Ἀτρειδῶν τῇ τ' Ὀδυσσέως βίᾳ.

quasi Ulysses non sit in numero κακῶν. Brunckius vulgatam tuetur, constructionis hujus usum defendens locis, ubi verbum compositum struitur cum casu, quem simplex regit. Negat autem Porsonus in Append. ad Toup. p. 445. verba ἐντυγχάνειν et συντυγχάνειν genitivo praeponi: exempla, quae in hanc regulam peccent, emendasse Toupium. Recte, ubi haec verba significant alicui occurrere, incidere in aliquem. Quodsi praepositio ad omissam aliquam personam pertinet, neque ad id, quod quis adipiscitur, quidni adsciscat verbum compositum genitivum, quem simplex postulat? Certius mihi videor hoc contendere, quum jam versu 314. Atridae et Ulysses essent commemorati, h. l. Sophoclem debuisse dicere aut: τῶν κακῶν ἀνδρῶν, Ἀτρειδῶν, aut omittere ἀνδρῶν. Vix enim usquam in tali nexu inveneris ἄνδρες Ἀτρεῖδαι sed οἱ ἄνδρες Ἀτρεῖδαι, aut οἱ Ἀτρεῖδαι, vel Ἀτρεῖδαι simpliciter. Wakefieldius vult scribi αὐτῶν τ' Ἀτρειδῶν. At esse debebat αὐτῶν, Ἀτρειδῶν τε τῆς τ' Ὀδυσσέως βίας. Illud ἀνδρῶν mihi videtur esse spurium

et interpretamenti caussa super κακῶν scriptum.
Forsitan haec dedit Sophocles:

συντυχὼν κακὰ

κακῶν Ἀτρειδῶν τῆς τ' Ὀδυσσέως βίας.

Quodsi admodum frequenti librariorum errore ex ea, quae ultimarum syllabarum ας et ων est in Codicibus MSS. similitudine, κακὰ abierat in κακῶν; non ineptum erat interpretamentum alterius κακῶν, id quod postea in locum posterioris κακῶν irrepsit, ἀνδρῶν. Diverso autem casu non raro occurrit κακὸς bis positum, ut Oedip. Col. 595. qui est locus huic simillimus:

πέπονθα, Θησεῦ, δεινὰ πρὸς κακοῖς κακά.

Eurip. Hecub. 885. — τὸν κακὸν κακόν τι πάσχειν.

Ac τυγχάνειν, quod genitivum vel plerumque habet adjunctum, similiter ut nostro loco legitur Oed. Col. 1168. ὅστις ἂν σου τοῦτο προσχρήζοι τυχεῖν. Philoct. 509 — ὅστις μηδενὸς τῶν ἐμῶν τύχοι φίλων, ubi tamen verba τοῦ

ἱμῶν Φ." non pendent e τύχοι. Sensus igitur est hic: *qui secum*, h. e. ut tu, *mala a malis Atridis et Ulysse expertus sum.* Nec repugno, si quis scribere velit σὺν τυχών.

V. 324. vulgata lectio haec est:

θυμῷ γένοιτο χεῖρα πληρῶσαί ποτε.

Vocabulum θυμῷ intelligitur pertinere aut ad γένοιτο, aut ad πληρῶσαι. Illud facere jubet Scholiastes, qui habet εἴθε γένοιτό μοι ὠργισμένῳ ὅρμησις κατ' αὐτῶν καὶ τὴν δύναμιν ἐνδέξασθαι καὶ τιμωρῆσαι αὐτούς. Πληρῶσαι, quo Hesych. explicat verbum κορέσαι et χεῖρα nempe μαιμῶσαν φόνου, fundunt hunc sensum: *utinam irato mihi contingat satiare manum.* At vereor, ne vocab. θυμῷ idem sit, quod ἐμοί, quum verb. θυμοῦσθαι jam praecesserit, itaque hoc insigni versus loco vim prope nullam habeat. Quodsi ad πληρῶσαι pertinet, sensus est: *utinam ira* h. e. *caede contingat satiare manum.* Attamen poeta, puto, si hoc voluisset, scripsisset φονῷ γένοιτο χεῖρα πληρῶσαί ποτε,

quae non admodum audax est conjectura propter similitudinem litterarum Θ et Φ; non tamen commendatur eo, quod non satis cohaeret cum antecedentibus, nimisque gravem et vehementem exprimit ſententiam, Aeſchylo quam Sophocle digniorem. Wakefieldius inverſa vult eſſe verba, ac videtur ipſi Sophocles pro re hoc loco rei cauſſam poſuiſſe. Si lyrica carmina exceperis, vix tamen in Sophoclis ſenariis, opinor, talia occurrere, ideoque ab hac familiari oratione hanc rationem eſſe alienam. Brunkii igitur amplexus ſum elegantem non minus, quam facilem emendationem θυμὸν γένοιτο χειρὶ πληρῶσαί ποτε. Etenim ut ῳ, quod in Codd. ſcribitur ωι, facillime abire poterat in ον, et frequenter a librariis cum hoc commutatum eſt; ita, ſi ſemel pro θυμὸν ſcriptum fuerat θυμῷ; legi amplius non poterat χειρὶ, ſed χεῖρα. Eſt autem χειρὶ dativus inſtrumenti, cujus notio vix poteſt abeſſe, quem eſſe vult Brunkius. Sententia evadit haec: *utinam iram manu explere contingat.*

V. 442. seqq.

Philoctetes Neoptolemum de Thersite percontatur his verbis:

ἀλλὰ Θερσίτης τις ἦν
ὃς οὐκ ἂν εἵλετ' εἰσάπαξ εἰπεῖν, ὅπου
μηδεὶς ἐῴη· τοῦτον οἶσθ' εἰ ζῶν κυρεῖ;

Brunkius sic vertit: *sed Thersites erat quidam, qui sibi nunquam temperabat, quin plus semel diceret, quod ne semel quidem audire quisquam vellet.* At certe non expressa sunt haec: ὅπου μηδεὶς ἐῴη, quae hunc sensum praebent: *ubi nemo permitteret dicere.* Atqui tacere solebat Thersites, quando quis, ut Ulysses apud Homerum, vetabat loqui. Potius id dicere debebat Philoctetes: *Thersites verba saepe loquacius faciebat tum, quum ei permittebatur.* Nullus igitur dubito, scribendum esse ὅπου μεθεὶς ἐῴης: *ubi non curans permitteres,* h. e. *ubi non curaretur ejus sermo.* Sic ait Electra apud Soph. v. 628.

ὁρᾷς; πρὸς ὀργὴν ἐκφέρει μεθεῖσά μοι
λέγειν ἃ χρῄζοιμι·

ubi in C. est παρεῖσα et glossema ἐνδοῦσα. Cum ἐὰν autem conjuncta ejusmodi participia occurrunt, ut Oed. Col. 363.

ἐγὼ τὰ μὲν παθήμαθ', ἃ 'παθον, πάτερ,
ζητοῦσα τὴν σὴν, ποῦ κατοικοίη, τροφὴν
παρεῖσ' ἐάσω. et

Ajac. 754. est μηδ' ἀφέντ' ἐᾶν,

Et ortum quidem esse videtur illud vitium mala pronunciatione, qua si semel μηδεὶς erat scriptum, deinde scribi oportebat ἐώῃ. Secundam autem personam pro tertia incerta et non definita non raro adhiberi docuit Brunkius ad Trachin. v. 2.

V. 490 seqq.

Ubi Philoctetes Neoptolemum rogat, ut in Euboeam ipsum abducat, his verbis utitur:

κἀκεῖθεν οὔ μοι μακρὸς εἰς Οἴτην στόλος,
Τραχινίαν τι δείραδα, καὶ τὸν εὔροον
Σπερχειὸν ἔσται, πατρί μ' ὡς δείξῃς φίλῳ
ὃν δὴ παλαί' ἂν ἐξότου δέδοικ' ἐγὼ
μή μοι βεβήκοι· πολλὰ γὰρ τοῖς ἱκμένοις

495. ἔστελλον αὐτὸν ἱκεσίους πέμπων λιτάς,
αὐτόστολον πέμψαντά μ' ἐκσῶσαι δόμους.
ἀλλ' ἢ τέθνηκεν, ἢ τὰ τῶν διακόνων,
ὡς εἰκός, οἶμαι, τοὐμὸν ἐν σμικρῷ μέρει
ποιούμενοι, τὸν οἴκαδ' ἤπειγον στόλον·
500. νῦν δ' εἰς σὲ γὰρ πομπόν τε καὐτὸν ἄγγελον
ἥκω, σὺ σῶσον, σύ μ' ἐλέησον, εἰσορῶν
ὡς πάντα δεινὰ κἀπικινδύνως βροτοῖς
κεῖται, παθεῖν μὲν εὖ, παθεῖν δὲ θάτερα.

Brunkius librorum fidem secutus v. 491. anapaestum inferre non dubitavit nullo pacto ferendum. Vitari enim perita verborum collocatione poterat hic pes, cujus omnes syllabae ne sunt quidem in uno vocabulo, vid. *Hermannus* in Praefat. ad Eurip. Hecub. p. LX. Toupii sententiam, δεράδα a poeta esse scriptum, sequitur Wakefieldius, qui Hesychio voc. δέρας restituendum esse putat pro δέρις, quod nusquam legatur. Et vero quidem etiam mihi

videtur haec esse lectio. Ceterum, quod ad locum illum attinet Trachin. 292, quo excusat Brunkius anapaesti usum in senario, is videtur esse emendandus. Nimirum Lichas Dejanirae ait:

φρόνει νιν (Herculem) ὡς ἥξοντα· τοῦτο γὰρ λόγου
πολλοῦ καλῶς λεχθέντος ἥδιστον κλύειν.

ΧΟΡΟΣ.

ἄνασσα, νῦν σοι τέρψις ἐκφανὴς κυρεῖ
τῶν μὲν παρόντων, τῶν δὲ πεπυσμένη λόγῳ.

Respondent sibi hoc loco verba τοῦτο γὰρ — κλύειν et τέρψις κυρεῖ σοι τῶν δὲ πεπυσμένη λόγῳ scil. nuntii. At nullo pacto verbum πυνθάνεσθαι cum genitivo rei struitur, neque ad λόγῳ pertinere potest, quandoquidem Lichas solus antea fuerat locutus, et laetum attulerat nuntium. Scribendum est necessario τάδε πεπυσμένη λόγῳ. Frequenter enim in Codd. litterae α et αι in fine verborum commutantur. Forsitan tamen hoc vitium ingessit eo

quod praecesserat τῶν μὲν, ita ut bis scriberetur, quod semel poni debebat. Versu 493. vix ferri posse puto lectionem librorum vett. et Schol. παλαί ἄν. Ad παλαιά, quod attice ponitur pro παλαιόν, Brunkius subaudiendum esse censet εἶεν. Triclinius scripsit παλαιόν, forsitan e Codd. vnde difficilius judicium. Certius dici hoc poterit, versu sequente lectionem Cod. B. βεβήκῃ esse praeferendam, quoniam δέδοικα praecessit, quod praesentis vim habet, ideoque postulat conjunctivum.

Ἔστελλον, quod in omnibus libris legitur, Brunkius esse vult pro μετέστελλον, et vertit: *Multa enim hinc solventibus mandata ad eum (patrem) dedi, supplices mittens preces, ut ipse navibus advectus domum me abduceret.* Wakefieldius dubitat, an ἱκμένοις, (pro quo ἱγμένοις esse legendum, siquidem ἵκμενος ubique sit secundus, Hermannus me docuit) idem sit, quod διὰ τῶν ἱγμένων ἢ ἀφιγμένων ἐνταῦθα καὶ πεπορευμένων, ut Schol. explicat. Locum restituere conatur conjectura: ἔτελλον, αὐτόν,

Structura verborum haec est: πολλὰ γ. τ. ἐπ-ἔτελλον, ἱκεσίους πέμπων λιτάς, αὐτὸν αὐτόστολον π. et q. s. Vereor tamen, ne verbum ἔτελλον sic prope redundet, quoniam sensus idem foret, si scriptum esset: πολλὰ γὰρ διὰ τῶν ἱγμ. ἱκ. πεμπ. λ. α. et q. s. Et quomodo antiqua illa lectio est orta? num per eos, qui male distractam esse viderent structuram, mirati, quod αὐτὸν positum esset inter duas voces, quae maxime erant conjungendae? Hi sane recte viderunt. Philoctetae mens haec est: *vereor, ne pater meus sit mortuus. Saepe enim eum per eos, qui huc venerunt, rogavi, ut me domum abduceret.* Quam sententiam ita expressit: *saepe per advenas eum arcessivi rogans, ut* etc. Στέλλειν h. l. est idem, quod μεταστέλλειν: cf. v. 60. h. fab. οἵ σ' ἐν λιταῖς στείλαντες ἐξ οἴκων μολεῖν, ubi pronomen σε pendet a στείλαντες; μολεῖν autem eodem modo est adhibitum, quo 1349. κοὐκ ἀφῆκας εἰς Ἀΐδου μολεῖν. Dativus autem τοῖς ἱγμένοις, quem potius ablativum appellarim, esse pro διὰ τῶν

ἠγμένων extra dubitationem ponitur loco Antig. 164. ubi Creon chorum compellat sic:

ὑμᾶς δ' ἐγὼ πομποῖσιν ἐκ πάντων δίχα
ἔστειλ' ἱκέσθαι·

Quem locum Schol. explicat per διὰ τῶν πομπῶν ὑμᾶς μετεκαλεσάμην. Et sic quidem intelligitur, πολλὰ esse adverbialiter adhibitum pro πολλάκις, neque satis recte hunc locum vertisse Brunkium.

Versus 500 et 501. sententia haec est: *Nunc autem ad te enim venio, qui (me) ipse abducas et nuncies (patri).* Αὐτὸν vero cur non etiam ad πομπὸν pertinet? Sane esse debebat πομπὸν τὸν αὐτὸν τ' ἄγγελον, *vectorem eundemque nuncium.* Sed si ad patrem transvehebatur, quid opus erat nuncio? Dixerat Philoctetes v. 488: *aut domum tuam aut ad patrem me traducas. Vereor tamen, ne pater mortuus sit.* Nam saepe per eos, qui huc interdum venerunt, *eum rogavi, ut me arcesseret. At aut mortuus est, aut nuncii, quibus mandata dedi, rem mali*

curarum. Jam sequi debebat: *Nunc autem ad me servus*, νῦν δὲ σὺ σῶσον. Sic verba εἰς σὲ γὰρ — ἥκω sunt superflua, quia continent caussam, quae hic non debebat commemorari, quia non est gravior iis, quas jam memoraverat Philoctetes v. 478.

δράσαντι δ' ὦ παῖ, πλεῖστον εὐκλείας γέρας
ἐὰν μόλω 'γὼ ζῶν πρὸς Οἰταίαν χθόνα.

v. 484.

νεῦσον, πρὸς αὐτοῦ Ζηνὸς ἱκεσίου, τέκνον,
πείσθητι. προσπίτνω σε γόνασι etc.

Recte autem dixisset: *nunc ad Te venio, Tu me serva*. Quam sententiam, puto, gravius sic expressit: *quum pater me arcessere nequeat, hac miserrima conditione ad te venio, neque per nuncios, sed ipse rogo, ut tu patris vicem sustineas, me abducas*. Quid multa? Sane recte scripsisset:

νῦν δ' εἰς σὲ πόμπον, τέκνον, ὧδ' αὐτάγγελος
ἥκω, σὺ σῶσον etc.

Est autem, quo hujus conjecturae excusetur audacia. Et αὐτάγγελος quidem, quod, ut multa

ma cum αὐτὸς composita αὐτόστολος v. 496. αὐτόκλητος Trach. 392, occurrit v. 568, facile divisim poterat scribi a librariis, propter syllabam ου quae solet per compendium suprascribi. Unde fieri facile potuit, ut, posteriore syllaba vocabuli τέκνον omissa, scriberetur τεκ αὐτ, quod legeretur τε κ'αὐτ. Quod si semel erat factum, αὐτὸν ἄγγελον debebat scribi, quippe quum per particulas cum πόμπον conjunctum ad Neoptolemum videretur esse referendum. Τέκνον, quod ubique legitur, h. l. commode blandam exprimit Neoptolemi compellationem. Deleto autem γάρ, quod nullo pacto ferendum est, quid aptius esse poterat, quam ὧδε, quod pro οὕτως non raro occurrit ut v. 1160.

τὶς ὧδ' ἐν αὔραις τρέφεται;

Miseram scilicet suam conditionem ob oculos sic ponit Neoptolemo. Et hoc ὧδε quidem complectitur verba v. 466.

ἔρημον ἐν κακοῖσι τοῖσδ' οἵοις ὁρᾷς.

et id esse puto, quo referantur, quae sequuntur:

vide, quam caduca sit hominum sors, ut is, cui bene sit, aliqua calamitate facile possit obrui.

V. 528. seqq.

Verba sunt Neoptolemi:

μόνον θεοὶ σώζοιεν ἔκ γε τῆσδε γῆς
ἡμᾶς, ὅποι τ' ἐνθένδε βουλόμεσθα πλεῖν.

Quid γε hoc loco? Conjunctio τε, quae sequitur, docet scribendum esse:

ἔκ τε τῆσδε γῆς.

V. 570. seqq.

Neoptolemo, qui interrogavit, cur non etiam Ulysses ad expeditionem contra se suscipiendam profectus sit, nauta his respondet:

κεῖνος γ' ἐπ' ἄλλον ἄνδρ', ὅ Τυδέως τε παῖς
ἔστελλον, ἡνίκ' ἐξανηγόμην ἐγώ.

ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ.

πρὸς ποῖον ἂν τόνδ' αὐτὸς οὐδυσσεὺς ἔπλει;

Sic scripsit Brunkius: vereor, ut usquam occurrat articulus cum nomine proprio per crasin

conjunctus. Et abest egregie in Cod. B. qui habet:

πρὸς ποῖον ἂν τόνδ' αὐτὸς ἂν Ὀδυσσεὺς ἔπλει;

Illud ἂν bis positum sane est Sophocleum. Neque vero intelligitur, quid hoc loco sibi velit nomen Ulyssis, quod superscriptum esse videtur vocabulo αὐτός, quum praecessisset ὁ Τυδέως παῖς. At non dubitare licet, quin αὐτὸς ad Ulyssem sit referendum, de quo sermo antea magis fuerat, quam de Diomede Ulyssis comite. Excidisse igitur arbitror vocabulum, cujus locum occupavit istud Ὀδυσσεύς. Et quamquam difficile est certo dicere, quid Sophocles scripserit, in promtu tamen est, scribere eum potuisse:

πρὸς ποῖον ἂν τόνδ' αὐτὸς ἂν στελῶν ἔπλει;

Paullo ante enim quum praecessisset verbum στέλλειν, quod apud nostrum frequenter esse *arcessere*, satis constat; eodem verbo more eorum, qui familiariter loquuntur, uti poterat Neoptolemus. Ita sensus foret hic: *ad quemnam arcessendum ipse navigavit?*

V. 676. seqq.

Choricum carmen quod sequitur, multis laborat vitiis. Brunkius sic scripsit:

Λόγῳ μὲν ἐξήκουσ᾽, ὄπωπα δ᾽ οὐ μάλα,
τὸν πελάταν λέκτρων ποτὲ τοῦ Διὸς
Ἰξίονα, κατ᾽ ἄμπυκα δὴ
δρομάδα δέσμιον ὡς ἔλαβ᾽ ὁ
680. παγκρατὴς Κρόνου παῖς·
ἄλλον δ᾽ οὔ τιν᾽ ἔγωγ᾽ οἶδα
κλύων, οὐδ᾽ ἐσίδον μοίρᾳ
τοῦδ᾽ ἐχθίονι συντυχόντα θνατῶν,
ὃς οὐδ᾽ ἔρξας τιν᾽, οὔτε νοσφίσας,
685. ἀλλ᾽ ἴσος ἐν ἴσοις ἀνὴρ,
ὤλλυθ᾽ ὧδ᾽ ἀναξίως.
τόδε θαῦμ᾽ ἔχει με,
πῶς ποτε, πῶς ποτ᾽ ἀμφιπλήκτων
ῥοθίων μόνος κλύων, πῶς
690. ἄρα πανδάκρυτον οὕτω βιοτὰν κατέσχεν,

ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος, οὐκ ἔχων βάσιν,
οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα,
παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον
βαρυβρῶτ', ἀποκλαύσειεν
695. αἱματηρόν· οὐδὲ γ'
ὃς τὰν θερμοτάταν αἱμά-
δα, κηκιομέναν ἑλκέων
ἐνθήρου ποδὸς ἠπίοισι φύλλοις
κατευνάσειεν.

Chorus commiſerationis ſenſum exprimit, quem excitavit Philoctetae conditio.

In his primum intelligitur, articulum τοῦ ante Διός, quem in veteribus Codd. et Aldina omiſſum, a Triclinio autem exhibitum inſeruit Brunkius, eſſe alienum, deeſſe autem articulum, quem poſtulat oratio. Scribendum eſt:

τὸν πελάταν λέκτρων ποτὲ τῶν Διός.

In verſibus ſequentibus, qui non reſpondent antiſtrophicis, primum non recte ſe habet illud

Ἴξιονα, cui respondeat παρ' ὧ σταθμὸν. Et vereor, ne a librario hoc nomen suprascriptum sit, ut intelligeretur, qui esset ille πελάτης λέκτρων τῶν Διός, quem vel pueri norunt. Deleto autem hoc nomine bene respondent verba

κατ' ἄμπυκα δὴ δρομάδα

illis:

παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον.

Similiter, quae sequuntur, ob antistropham, quae bono procedit rhythmo, emendanda sunt. Quae emendatio mihi quidem sic visa erat instituenda, ut pro δέσμιον scriberetur vocabulum, quod idem valeret,

δέ τον ὡς ἔλαβ' ὁ

παγκρατὴς Κρόνου παῖς

quibus responderent v. 694.

βαρυβρῶτ' ἀποκλαύ-

σειεν αἱματηρόν.

At Hermannus faciliore modo hunc locum me jubebat emendare. Quapropter sic scripsi:

κατ' ἄμπυκα δὴ δρομάδ' ὡς
βάλε δέσμιον ὁ —

ἔβαλε eleganter dedit Wakefieldius pro *ἔλαβε*. Deinde, quum interpunctio, quae est in strophico carmine post *παῖς*, eadem sit post *αἱματηρόν*, claudendi versus sunt his vocabulis. Iam vero si versu 695. *οὐδὲ* ad sequentem versum refertur, is non omnino recte se habet, quippe non respondet strophico versui.

Expungendus igitur est articulus *τὰν* ante *θερμοτάταν*, qui in tali nexu in strophicis plerumque non additur. Idem fiat necesse est particulae *γε*, quam, quum a vulgata abesset, neque ad sensum requireretur, metri causa, alieno tamen loco, Brunkius inseruit. Jam vero versus 696 et 697. qui, ut nunc leguntur, pessime sic sunt distributi, ut prope omni rhythmo careant, conjungendi sunt, ut choriambos cum basi audias:

οὐδ' ὃς θερμοτάταν αἱμάδα κηκιομέναν
ἑλκέων.

Cui verſui egregie reſpondet antiſtrophicus:

ἄλλον δ' οὔ τιν' ἔγωγ' οἶδα κλυὼν, οὐδ' ἐσίδων
μοίρᾳ.

Sed ad verſum 698. nos vertamus, in cujus ſententia multum laborarunt interpretes. Et recte quidem monuerunt *Leſſingius*, (vid. Laoc. p. 35. ſeqq.) *Gedikius* et *Brunkius*, κακογείτονα, *malum vicinum*, non aptum praebere ſenſum, ſi acceperis cum Scholiaſta, qui haec habet: οὐ μόνον, ὅπου καλὸν οὐκ εἶχε γείτονα, ἀλλὰ οὐδὲ κακὸν παρ' ᾧ et q. ſeqq. Verum nihilo magis debebat ἐγχύρων ad τινα referri, et κακογείτονα verti *malorum vicinum*, *ſocium*. Repugnat etiam *Schützius* V. I. in *Diatribe in Soph. Philoct.* v. 687 — 712 anno 1786. edita, qui monet κακογείτονα *non eſſe ſocium malorum*, (*Miſerum enim*, inquit, *Philoctetae ſolatium fuiſſet, ſocios malorum habuiſſe) ſed vicinum mali h. e. hominem, qui ob viciniam ei, qui in malis verſatur, ſuccurrere et ſubvenire poſſit. Talem enim deſcribi v. 169. ſeqq.* Verum ut hujus loci ſententia multo copioſius eſt expreſſa, ſic, ut

potius ex hoc illud ξύντροφον ὄμμα, quid sit, videatur posse explicari, ita de priore Schützii sententia non omnino mihi persuasum est. Cicero Tusc. III, 33. *Ne illa quidem, inquit, firmissima consolatio est, quamquam et usitata est et saepe prodest: Non tibi hoc soli.* E qua quidem cogitatione frequenter apud Tragicos repeti solatium, testantur loci a Brunkio ad Soph. Electram allati et a Valkenario in Diatr. p. 179. In Electrae versu 153. quum chorus consoletur Electram his verbis,

οὔ τοι σοὶ μούνα, τέκνον,
ἄχος ἐφάνη βροτῶν,

quidni hoc loco chorus, qui constat sociis Neoptolemi, nautis, parumque exculti ingenii hominibus, lugeat Philocteten hoc ultimo quoque solatio destitutum, quod sciat, non soli sibi tanta mala accidisse? Nihilominus tamen κακογείτων est *malus vicinus.* Alia enim est ratio verborum κακομάντις, qui est, ὃς μαντεύεται κακά, et κακότεχνος et eorum, quorum verba non rectum casum regunt, ut κακόδουλος,

quod *malum servum* denotat, non eum, *qui malo homini servitium praestat.* Consentit Scholiastes, qui post inepta illa verba habet, quae etiamsi ipsa non veram sententiam exhibent, ad veritatem tamen propius adducunt. Sunt autem haec: *οὐδὲ τινὰ ἐγχώρων ἔχων, παρ' ᾧ δὴ τὸν κακὸν γείτονα τὸν αἱματηρὸν στόνον ἀποκλαύσειε. τὸ κακόγειτονα γὰρ οὐ πρὸς τοὺς ἐνοικοῦντας, ἀλλ' εἴπερ τις ἐτύγχανεν αὐτῷ συνοικῶν, ὁ τούτου στόνος κακογείτων ἂν ἦν ἐκείνῳ.* Recte igitur Scholiastes *κακογείτονα* retulit ad *στόνον*, nec nisi in eo fuit falsus, quod hunc malum gemitum non Philoctetae, sed alius ex vicinis esse voluit. Similiter apud Aeschyl. Prometh. 205. *μέριμναι* dicuntur *γείτονες καρδίας.* Neque non poterant gemitus a monte repercussi calamitatis sensum augere propterea, quod solus audiebat. Schützii autem hujus loci emendatio vereor, ut facilitate et elegantia commendetur. Est haec:

παρ' οὗ στόνος ἀντίτυπος
βαρυβρῶτ' ἀποκλαύσειεν αἱματηρόν·

totumque illum locum vertit *ubi solus erat incola, pedibus minime valens, neque quemquam incolarum infortunii sui vicinum habens, a quo (i. e. cujus) gemitus (gemitibus Philoctetae) respondens graviter vulneratum (et) cruentum hominem deploraret, nec qui fervidum sanguinem ex ulceribus laesi serpentis morsu pedis scatentem lenibus herbis sisteret.*

V. 730.

Philocteten, qui doloris sensum silentio studet reprimere, Neoptolemus specum intrare jubet his verbis:

ἕρπ᾽ εἰ θέλεις, τί δῆ, ποθ᾽ ὧδ᾽ ἐξ οὐδενὸς
λόγου σιωπᾷς κἀπόπληκτος ὧδ᾽ ἔχῃ.

Offendit hoc alterum ὧδε male repetitum. Vix dubitare licet, quin scripserit Sophocles:

κἀπόπληκτος ὡς ἔχει.

Nam secundam personam singularis numeri in indicat. pass. ab Atticis per ει formatam esse docuerunt plures, quos vide apud Hermannum in proleg. ad Hecub. p. XXVI, ubi de hac scriptura

omnino dictum est. Illud ὡς autem, in quod mutavi ὧδε, ita nominibus saepe postponi neminem fugit, vid. Koen. ad Gregor. p. 210.

V. 971. seqq.

Ut Neoptolemus mentem mutet sibique tela reddat, Philoctetes sic loquitur:

> οὐκ εἶ κακὸς σύ· πρὸς κακῶν δ' ἀνδρῶν μαθὼν
> ἔοικας ἥκειν αἰσχρά. νῦν δ' ἄλλοισι δοὺς,
> οἷς εἰκός, ἔκπλει, τἀμά μοι μεθεὶς ὅπλα.

Verba νῦν δ' ἄλλοισι δοὺς magnae sunt offensioni. *Nunc ubi aliis reddidisti, quibus par est, naviga, redditis mihi telis.* Universe si valent, quis hanc sententiam: *suum cuique redde*, sic expresserit, *aliis redde, quibus par est?* Deest id, quod dare jubet. Sermo fuit de Atridis et Ulysse, a quibus Neoptolemus pessima quaevis didicesset, πρὸς κακῶν et q. seq. *nunc* (sic necessario loqui debet Philoctetes) *mitte istorum societatem, neque adhiberi te amplius patiaris ad eorum nefaria negotia, aliis te committe, quibus decet uti*

νῦν δ᾽ ἄλλοις σε δοὺς
οἷς εἰκός, ἔκπλει, τἀμά μοι μεθεὶς ὅπλα.

Saepius occurrit δοῦναι ἑαυτὸν τινὶ, conf. vers. 84. ubi Ulysses Neoptolemum blande alloquitur:

δός μοι σεαυτὸν, etc.

ad quem locum videndus est Brunkius. In eandem hunc locum emendandi rationem Wakefieldium incidisse ut magnopere sum laetatus, ita miratus sum, Virum Doctum eos, quibus sedet Neoptolemus, censere Philocteten esse ejusque voluntatem. Enimvero si ea est mens, cur Philoctetes discedere eum jubet? nihilque rogat amplius, nisi ut arma relinquat? Ἄλλοι sunt, quicunque meliores sunt Atridis et Ulysse. Qua Philoctetae admonitione commotus Neoptolemus pleno haesitationis animo ait:

V. 974.

τί δρῶμεν ἄνδρες;

Neoptolemus tela porrigit, at intercedit Ulysses his verbis:

ὦ κάκιστ' ἀνδρῶν, τί δρᾷς;
οὐκ εἶ μεθεὶς τὰ τόξα ταῦτ' ἐμοὶ πάλιν;

Wakefieldius, *versum*, inquit, *concipio equidem, quasi dubitantis inter interrogantem et affirmantem: Certe mihi non is hos arcus restitutum? ubi pronomen elegantissime redundet.* Tum scribendum esset ταῦτά μοι, neque verus is esset sensus, quum Ulysses antea non possedisset arma ab Hercule Philoctetae tradita. Pronomen ἐμοὶ jam docet, Ulyssem se nunc opponere Philoctetae. Mens ejus haec est: *Quid facis? cur, pessime, huic porrigis tela, quae mihi potius erant tradenda?* πάλιν h. l. est *contra*, de qua significatione in verbis compositis frequentiore vid. Hoogeven. de partic. Qua adhibita explicandi ratione non opus est Gedikii conjectura, hunc versum Philoctetae esse restituendum post v. 973. Silente adhuc Neoptolemo perrexisse putat Philocteten; *annon abis restituto mihi arcu?* Egregie sane, modo non opus esset orationis intercapedine, qua concessa multa saepe conjungi possunt. Et, si recte sentio, orationis gravitas hac ratione minuitur. Philoctetes enim quum

saepius rogasset, ut arma redderet, nunc denique valere eum jubet cum animi quadam constantia, qua animus infirmus neque prorsus depravatus solet facilius moveri et flecti quam precibus. Accedit, quod μεθεὶς in duobus se excipientibus versibus bis dictum aures offendat. Brunkius sic vertit: *O pessume omnium, quid agis? non abibis, relicto mihi hoc arcu?* Sic sane vertendum est, ut bonus evadat sensus. Nimirum per interrogationem exprimit, quod erat imperandum, quod solet in vita communi fieri etiam tum quum aliquid primum jubemus facere.

V. 994. seq.

Ulysses Philocteten Trojam sequi jubet his:

ἡ δ' ὁδὸς πορευτέα.

ΦΙΛΟΚΤΗΤΗΣ

οὔ φημ' ἔγωγε

ΟΔΥΣΣΕΥΣ

φημί, πειστέον τάδε.

Ἔγωγε non tam Philoctetae videtur tribuendum esse quam Ulyssi. Quis enim responderit

Philoctetae simpliciter: *dico*, sed *Ego vero jubeo*. Respondere igitur Philocteten, statuendum est οὔ φημ᾽. Quae verba excipit Ulysses sic: ἔγωγε aut quod gravius foret, ἐγὼ δὲ φημί· πειστέον τάδε.

V. 1026. seqq.

Ulyssem conviciis exsecrans Philoctetes ait:

ἐμὲ δὲ τὸν πανάθλιον
ἑκόντα πλεύσανθ᾽, ἑπτὰ ναυσὶ ναυβάτης
ἄτιμον ἔβαλον, ὡς σὺ φῄς, κεῖνοι δὲ σέ.
καὶ νῦν τί μ᾽ ἄγετε; τί μ᾽ ἀπάγεσθε; τοῦ χάριν;
1030. ὃς οὐδέν εἰμι, καὶ τέθνηχ᾽ ὑμῖν πάλαι.
πῶς, ὦ θεοῖς ἔχθιστε, νῦν οὐκ εἰμί σοι
χωλός, δυσώδης; πῶς θεοῖς εὔξεσθ᾽, ἐμοῦ
πλεύσαντος, αἴθειν ἱερά; πῶς σπένδειν ἔτι;
αὕτη γὰρ ἦν σοι πρόφασις ἐκβαλεῖν ἐμέ.

1035. κακῶς ὄλοισθ᾽· ὀλεῖσθε δ᾽ ἠδικηκότες
τὸν ἄνδρα τόνδε, θεοῖσιν εἰ δίκης μέλει.
ἔξοιδα δ᾽ ὡς μέλει γ᾽· ἐπεὶ οὔποτ᾽ ἂν στόλον
ἐπλεύσατ᾽ ἂν τόνδ᾽, οὕνεκ᾽ ἀνδρὸς ἀθλίου,
εἰ μή τι κέντρον θεῖον ἦγ᾽ ὑμᾶς, ἐμοῦ.

Versu 1028. quae verborum structura, ellipsi inaudita! κεῖνοι δὲ (φησὶ) σὲ (ἐμὲ ἐκβεβληκέναι). Sed ne haec quidem vera videtur esse sententia. Nam unde Philoctetes, ab Atridis Philoctetae expositionem Ulyssi tribui, acceperat? Longe simplicior huic loco inesse debet sententia haec: *illi me, ut tu dicis, exposuerunt, tu vero hoc scelus patrasti.* Quid igitur? scribendum est:

ἄτιμον ἔβαλον, ὡς σὺ φῄς, κεῖνοι, σὺ δέ.

Ad σὺ δὲ repetendum ἔβαλες: *tu vero me ejecisti.*

De versu 1032. Brunkius sic scribit: „*Libri omnes*, πῶς θεοῖς εὔξεσθ᾽ αἴθειν ἱερά; *quod versum*

Quomodo diis vovebitis sacra crematuros? Atqui Philoctetae ejulatus non impediebant, quin voverent, sed quin peragerent sacra. Mendosum esse εὔξεσθ' *nemo non vidit; mutari debuit in* ἕξεσθ', *id est* δυνήσεσθε." At ἔχεσθαι pro δύνασθαι recte dici exemplis haud edoctus vix credam, ut non dicam, sensum ne elegantem quidem esse. De votis sermo esse nequit, neque vero Philoctetes a sacris eos prohibere potuit, sed impedire, quominus sacra recte peragerent comp. v. 8. ubi Ulysses ait expositum esse Philocteten,

ὅτ' οὔτε λοιβῆς ἡμῖν, οὔτε θυμάτων
παρῆν ἑκήλοις προσθιγεῖν· ἀλλ' ἀγρίαις
κατεῖχ' ἀεὶ πᾶν στρατόπεδον δυσφημίαις,
βοῶν, στενάζων.

Εὔχεσθαι hoc loco non est nisi gloriari hoc sensu: *quomodo, me vobiscum nagivante, gloriabimini (gloriari poteritis) Diis sacra facere.* Verum sic recte non dicitur. πῶς ante θεοῖς non pertinet ad εὔξεσθε, sed ad ἱερά, ut alterum πῶς ad σπένδειν. Non dubito quin scribendum sit:

[illegible] ποίῳ θεοῖς εὔξεσθ' ἐμοῦ
πλεύσαντος, αἴθειν ἱερά; πῶς σπένδειν ἔτι;

θεοῖς et θεῶν frequentissime apud Tragg. unam syllabam faciunt. Facile autem fieri poterat, ut, quum πῶς in versu antecedente et sequente legeretur, ποῖῳ, quod in medio erat, etiam in πῶς abiret.

Versu 1037. offendit particula γε quae, nisi ironiam exprimit, male videtur adhibita. Sensus totius loci hic est: *Utinam pereatis, peribitis autem qui injuste mecum egistis, Diis si curae est justitia. Scio autem esse, siquidem nunquam hanc suscepissetis contra virum miserrimum expeditionem, nisi divinitus fuissetis incitati.* Verbis ἔξοιδα δ' ὡς μέλει γ' si non inest ironia, sane sibi repugnat Philoctetes. Nam, quod venerant hostes ipsum abducturi, id num justitiae divinae opus vere habere poterat? Nullo pacto. Vera sententia haec est: *Peribitis, si Dii justi sunt.* Jam acerbitatem invidiae et odii, quae animum pervasit, exprimit his: *et Deos quidem justos esse, vestra probatur expeditione, cujus consilium vos*

dicitis Diis debere. Respiciendum maxime est ad verba Ulyssis v. 989.

Ζεὺς ἔσθ᾽, ἵν᾽ εἰδῇς, Ζεὺς, ὁ τῆσδε γῆς κρατῶν,

Ζεὺς, ᾧ δέδοκται ταῦθ᾽. ὑπηρετῶ δ᾽ ἐγώ.

ΦΙΛΟΚΤΗΤΗΣ

ὦ μῖσος, οἷα κἀξανευρίσκεις λέγειν·

θεοὺς προτείνων, τοὺς θεοὺς ψευδεῖς τιθεῖς.

V. 1094.

Philoctetes Harpyiae, inquit,

ἕλωσι μ᾽· οὐ γὰρ ἔτ᾽ ἴσχω.

Quibus respondent verba versus antistr. 1115.

ἐμὰς λαχόντ᾽ ἀνίας.

Wakefieldius vitium auxit scribendo:

ἕλωσι μ᾽· οὐ γὰρ ἔτ᾽ ἰσχύω.

Systemata dactylica frequenter clauduntur hoc versu

υ — υ — υυ — υ

neque mutandus est versus 1094. Antistrophici eius autem sic videtur esse scribendus:

> ἰδοίμαν δέ νιν
> τὸν τάδε μησάμενον τὸν ἴσον χρόνον
> ἐμὰς λαχόντ' ἂν αὐλας.

Haec particula ἂν ad λαχόντα pertinens facile potuit sequente vocabulo oblitterari.

V. 1100.

> εὖτέ γε παρὸν φρονῆσαι,
> τοῦ λῴονος δαίμονος εἵ-
> λου τὸ κάκιον ἑλεῖν·

v. 1100. hi antistrophici versus respondent:

> καὶ γὰρ ἐμοὶ τοῦτο μέλει,
> μὴ φιλότητ' ἀπώσῃ.

Duo isti versus sunt coniungendi, quippe constituunt tetrametrum catalecticum, ab Hermanno in libro de metris 316. sic scripti:

> τοῦ λῴονος δαίμονος εἵλου τὸ κάκιον ἕλκειν,
> καὶ γὰρ ἐμοὶ τοῦτο μέλει, μὴ φιλότητ' ἀπώσῃ.

Etiam Wakefieldius scripsit pro ἑλεῖν, ἕλκειν et praeterea pro εἵλου, εἶχου, quod ne satis quidem intelligo; vertit sic: *te ubique, dum liceret sapere, meliori fortunae affinem, quod pejus est, arripere.* Sed non video, cur εἵλου mutetur. Frequenter enim ut hoc loco adhibetur ἑλέσθαι vid. v. 47.

ὥς μᾶλλον ἂν
ἕλοιτό μ' ἢ τοὺς πάντας Ἀργείους λαβεῖν.

Magis quaeritur, num ἕλκειν, quod VV. DD. scripserunt, recte se habeat. Sententia est haec: *Quum sapere tibique consulere deberes, prae meliore sorte elegisti pejorem.* Simpliciter dixisset: εἵλου τὸ κάκιον. In mentem mihi venit scribere:

τοῦ λῴονος δαίμονος εἵλου τὸ κάκιον ἐλθεῖν.

Sic enim puto Scholiasten legisse, qui ad hunc locum habet haec: ὅτε γε παρόντος σοι σωφρονεῖν, καὶ τὸ λυσιτελὲς ἀπὸ λῴονος δαίμονος λαβεῖν, τὸ κάκιον εἵλου, τὸ μὴ ἐλθεῖν. An non verisimile est, eum legisse εἵλου τὸ κάκιον ἐλθεῖν, quod eligendum tibi erat μὴ ἐλθεῖν?

Ejusmodi autem verborum ἔλειν et ἔχθειν commutatio occurrit Antig. 383. ubi pro vulgata lectione καθελόντες in Cod. Aug. B. est κατέλθοντες. Neque quemquam mirum habebit, quod κακὸν dicitur ἔχθειν. Quid enim, quod Eurip. Alc. 420. legitur κακὸν τόδε προσέπτατο?

V. 1134. seqq.

Philoctetes orationem convertit inde a v. 1128. ad arcum suum, quem non sit in posterum tractaturus:

ἀλλ' ἐν μεταλλαγᾷ
πολυμηχάνου ἀνδρὸς ἐρέσσῃ
ὁρῶν μεν αἰσχρὰς ἀπάτας,
στυγνὸν δὲ φῶτ' ἐχθοδοπὸν
μυρί' ἀπ' αἰσχρῶν ἀνατέλλονθ', ὅσ' ἐφ'
ἡμῖν κάκ' ἐμήσατ' Ὀδυσσεύς.

Ad 1138. Brunkius, *id est*, inquit, μυρία αἰσχρὰ ἀνατέλλοντα ἀπ' αἰσχρῶν et sic vertit: *sed mutato domino versuti viri manibus tracteris turpes cernens fraudes, tristificumque et*

invisum cernens virum, turpia ex turpibus edentem infinita, quanta in me machinatus est mala Ulysses. Videtur igitur φῶτα putare esse Neoptolemum, qui exsequatur, quod excogitaverit Ulysses. Verum verba πολυμηχάνου ἀνδρός, στυγνὸν φῶτ' ἐχθοδοπόν sane ad ipsum pertinent Ulyssem, nullo pacto autem ad Neoptolemum, de quo ad illum dicit Philoctetes v. 1010.

ὃς οὐδὲν ᾔδη, πλὴν τὸ προσταχθὲν ποιεῖν.
δῆλος δὲ καὶ νῦν ἐστιν ἀλγεινῶς φέρων
οἷς τ' αὐτὸς ἐξήμαρτεν, οἷς τ' ἐγὼ 'παθον.
ἀλλ' ἡ κακὴ σὴ διὰ μυχῶν βλέπουσ' ἀεὶ
ψυχή νιν ἀφυῆ τ' ὄντα, κοὐ θέλονθ' ὅμως
εὖ προὐδίδαξεν ἐν κακοῖς εἶναι σοφόν.

Et v. 1063. Ulyssi ait:

σὺ τοῖς ἐμοῖς
ὅπλοισι κοσμηθεὶς ἐν Ἀργείοις φανεῖ;

Verebatur igitur Philoctetes, ne Ulysses potiretur telis. Jam vero quis dicat: *vides virum (Ulyssem) nefaria multa mala mihi struentem,*

quae excogitavit Ulysses? Deinde ἀνατέλλειν nullo pacto hic est *oriri facere, edere,* sed *oriri.* Nulla est dubitatio, quin Sophocles scripserit:

μυρία τ' αἰσχρῶν ἀνατέλλονθ', et q. s.

hoc sensu: *videns turpes fraudes, invisum atque infestum virum, atque innumera turpia facta, quae machinatus mala nobis est Ulysses.* Ceterum hi duo versus male sunt dispositi. Non enim sunt versus anapaestici, quos Brunkius esse existimat, quod vel finis prioris versus indicat. Sunt versus choriambici:

μύρια τ' αἰσχρῶν ἀνατελλόνθ' ὅσ' ἐφ' ἡ-
μῖν κακ' ἐμήσατ' Ὀδυσσεύς.

At quomodo his respondent antistrophici 1161 seq.? Ad eos Brunkii nota haec est. *In Aldina legitur:* μηκέτι μηδενὸς κρατύνων ὅσα πέμπει βιόδωρος αἶα. *Nec quidquam discrepant codices. Lectio manifesto depravata a librario, qui ad sensum modo adtendit et metra flocci fecit. Versus esse debent anapaestici; prior dimeter, alter paroemiacus, quales sunt strophici. Contigit hic, quod*

alias saepissime, ut repetenda vox omitteretur μηκέτι. E glossemate est κρατύνων, quod in versum intrare non potest: nam media longa est. Quid multa? scripserat Tragicus:

μηκέτι, μηκέτι κρατέων μηδενὸς,
ὅσα πέμπει γᾶ βιόδωρος.

Qui versus non minus aures offendunt, quam, quos fecit Heathius,

μηκέτι μηδενὸς κρατύνων ὅσα
πέμπει βιόδωρός γ' αἶα.

Vulgata optime se habet! modo disponantur versus sic, ut constent choriambis, qui solent in strophicis nonnunquam jambicis dipodiis commutari, vid. Hermannus Handb. d. Metr. §. 296 et 299. Sunt ergo sic scribendi:

μηκέτι, μηδενὸς κρατύνων ὅσα πέμ-
πει βιόδωρος αἶα.

V. 1140. seqq.

XOPOΣ.

ἀνδρός τοι τὸ μὲν εὖ δίκαιον εἰπεῖν·
εἰπόντος δὲ μὴ φθονερὰν
ἐξῶσαι γλώσσας ὀδύναν.
κεῖνος εἷς ἀπὸ πολλῶν
ταχθεὶς, τοῦδ᾽ ἐφημοσύνᾳ
κοινὰν ἤνυσεν ἐς φίλους ἀρωγάν.

Prior hujus loci pars ab interpretibus variis modis est intellecta, vereor ne non satis recte. Sive enim sensum cum Gedikio et Wakefieldio hunc inveneris: *Virtutes aliorum laudare decet, idque sine invidia ac dolore*, sive cum Brunkio et Scholiaste verborum hunc ordinem constitueris: ἀνδρός τοι (ἐστιν) εἰπεῖν μὲν εὖ τὸ δίκαιον· εἰπόντος δὲ (ἄλλου), ἀνδρός ἐστὶ μὴ φθονεράν ἐξῶσαι γλώσσας ὀδύναν, non intelligitur, quomodo haec omnis sententia in hunc locum quadret, quae, etiamsi generaliter est proposita, habere tamen debet, quo referatur. Quodsi τὸ δίκαιον sunt merita, quomodo de laudibus

alicujus sermo esse possit, quem antea nemo memoravit, equidem non intelligo. Qui autem τὸ δίκαιον esse volunt τὸ ἀληθὲς, indicare nequeunt, qui sit ὁ ἄλλος, quem ad εἰπόντος jubent subintelligere. In qua omni re hoc certum est, sententiam, quaecunque in hoc loco sit, aut ad Ulyssem, aut ad Neoptolemum, aut ad Philoctetem esse referendam, et ita quidem, ut, quod aliquis eorum non fecerit, facere eum debuisse nunc innuatur. Jam chorus non nisi cum Philoctete colloquitur. Ad hunc igitur pertinere debet haec sententia. Videamus, is quid antea dixerit. Et ut crebro criminatus est Neoptolemum doloso Ulyssi inservientem, exsecuturum scilicet ea, quae ille sit machinatus, ita inde a versu 1134, tractari doluit ab Ulysse arcum nefariis ejus interfuturum facinoribus. Quam sententiam, Ulyssem turpia patrare, veram quidem esse chorus intelligit, notat tamen Philoctetem, qui vera dixerit cum invidia. Quare, *viri quidem*, inquit, *est*, *quae vera sunt*, *aperte profiteri*. *Caveat tamen*, *ne*, *si vera dicat*, *dicat cum acerbitate atque invidia*. Quae universe dicta ad quem spectent, statim docet. *Ulysses*

enim, ait, *si male fecit, id non sua voluntate patravit, sed jussus commodisque popularium consulturus.* Inde tacito concluditur: *tu igitur, Philoctetes, qui Ulyssem tam acerbe notasti, non fecisti, quod viri est.* Quomodo verba struantur, jam per se patet, ἀνδρός τοι ἐστι μὲν εἰπεῖν τὸ εὖ δίκαιον (τὸ ἀληθὲς secundum Schol. τὸ ἐν καιρῷ) εἰπόντος δὲ (ἐςὶ) μὴ et q. s. Ex eodem errore, in quo interpretes versati sunt, qui κεῖνος v. 1143. de Neoptolemo acciperent, natum videtur esse aliud vitium v. 1144. illud quidem satis antiquum. Aldus et veteres codd. habent τοῦδ' ἐφημοσύνα, pro quo Turnebus edidit εὐφημοσύνα e Triclinio, in cujus recensione scriptum est τοῦδ' εὐφημοσύναν. Opinati igitur sunt τοῦδ' esse Ulyssem, cujus jussu Neoptolemus hanc expeditionem contra Philocteten susceperit. Quum autem, ut vidimus, de Neoptolemo nunc non sit cogitandum, sed Ulyssem voc. κεῖνος denotetur; in promtu est τοῦδ' nullo pacto de Ulysse debere intelligi. Neque tamen Neoptolemus dici potest Ulyssem

jussisse Philoctetae insidias struere. Quaeritur ergo, quem chorus in mente habeat, quin nominet, quasi eum jam memoraverit. Et memoravit quidem, a quibus electus (ταχθεὶς) hanc fraudem Ulysses fecerit. Magnae principum Achivorum partis (πολλῶν) monitis obsecutum Ulyssem chorus dicit hoc facinus patrasse. Legendum igitur est, quod etiam Erfurdtio meo in mentem venit:

τῶνδ' ἐφημοσύνᾳ.

V. 1189. seqq.

Philoctetes pedis dolore cruciatus sic loquitur

ὦ πούς, πούς, τί σ' ἔτ' ἐν βίῳ
τεύξω τὸ μετόπιν τάλας;

Uterque versus est glyconeus polyschematistus. Quare in posteriore scribendum est:

τεύξω τῷ μετόπιν τάλας,

ita ut τῷ ad βίῳ pertineat. Sensus non mutatur.

V. 1213. seqq.

Omnia desperante animo Philoctetes haec ait:

ὦ πόλις, ὦ πόλις πατρία,
πῶς ἂν εἰσίδοιμί σ' ἄθλιός γ' ἀνήρ,
ὅς γε σὰν λιπὼν ἱερὰν
λιβάδ' ἐχθροῖς ἔβαν Δαναοῖς
ἀρωγός, εἶτ' οὐδέν εἰμι.

Ultimi versus pars posterior haud suavi rhythmo continetur. Scilicet εἶτα, quod Heathio debemus, malo loco est positum. Sensus est, *utinam te (urbem) videam, qui, quum infestis Danais proficiscerer auxiliaturus, jam nihil sum?*

Reponenda est vulgata lectio
ἀρωγός, ἔτ' οὐδέν εἰμι.

Sic hic locus finitur versu auribus gratissimo

υ — υυ — υ — υ

Neque sine exemplo est haec adv. ἔτι collocatio ante οὐδέν, quamquam frequentius postponi solet. vid. Trach. 161.

νῦν δ' ὡς ἔτ' οὐκ ὤν,

V. 1287.

Neoptolemus Philoctetae tela reddit his verbis:

δέχου δὲ χειρὸς ἐξ ἐμῆς βέλη τάδε.

ΦΙΛΟΚΤΗΤΗΣ

πῶς εἶπας; οὐκ ἄρα δεύτερον δολούμεθα;

Anapaestus in versu 1288. est delendus. Philoctetes verens, ne iterum sibi fraus paretur, ait: *quid dicis? iterum igitur decipiar?* aut: *iterumne decipiar?* aut denique: *ne enim iterum decipiar* h. e. *tela, quae porrigis, accipere nolo, bis enim me falli haud patiar.* Scribi igitur potest,

πῶς εἶπας; ἆρα δεύτερον δολούμεθα;

Sic Porsonus locum emendavit, vel, quod equidem censeo,

οὐ γὰρ δεύτερον δολούμεθα.

Idem conjectura assecutus est Wakefieldius, qui tamen interrogationis signum posuit post δολούμεθα. Haec ratio ut sit facilior, non tamen tam gravem fundit sensum, quam, si cogitatur

vultu et capitis motibus significasse, se accipere nolle tela et causam deinde addidisse, cur recusaverit.

V. 1305. seqq.

Ulyssem, quem telis necare a Neoptolemo prohibitus est, Philoctetes, qualis sit, sic describit:

ἀλλ᾽ οὖν τοσοῦτόν γ᾽ ἴσθι, τοὺς πρώτους στρατοῦ,
τοὺς τῶν Ἀχαιῶν, ψευδοκήρυκας, κακοὺς
ὄντας πρὸς αἰχμήν, ἐν δὲ τοῖς λόγοις θρασεῖς.

Sententia his verbis expressa haec est: *hoc scias, principes Achivorum fortes esse verbis, sed in pugna ignavos.* Κακοὶ et θρασεῖς sibi opponuntur, ideoque ψευδοκήρυκας est ad τοὺς τῶν Ἀχαιῶν referendum, interpunctione post Ἀχαιῶν deleta, ut sensus sit: *persuasum tibi sit, principes exercitus*, mendaces Achivorum praecones, (spectat hoc ad Ulyssem) ignavos esse ad pugnam, lingua autem feroces.

V. 1385.

Ubi Neoptolemus Philoctetae suasit, ut sponte Ulyssem sequeretur, Philoctetes dicit:

λέγεις δ᾽ Ἀτρείδαις ὄφελος, ἢ ᾽πʼ ἐμοὶ τόδε.

ΦΙΛΟΚΤΗΤΗΣ

πῶς, ὅς γε τοῖς ἐχθροῖσιν ἐκδοῦναί θέλεις;

Pronomen ἐμὲ in posteriore versu vix poterat omitti. Attamen si scriberetur ὅς ἐμὲ τοῖς et q. seq. particula γε everteretur, quae nollem abesset. Quare censeo scribendum esse ὅν γε, quod ad σοὶ in versu praecedente referatur; hoc nexu πῶς (ἐμοὶ φίλος εἶ?), ὅν γε — — θέλεις.



